

Handwritten musical notation on a four-line staff, consisting of several notes and rests.

moda qui toto cor de poscunt e in

Handwritten musical notation on a four-line staff, consisting of several notes and rests.

inim tui tota nos te nomi

Handwritten musical notation on a four-line staff, consisting of several notes and rests.

Handwritten musical notation on a four-line staff, consisting of several notes and rests.

bet comminte re

Handwritten musical notation on a four-line staff, consisting of several notes and rests.

Handwritten musical notation on a four-line staff, consisting of several notes and rests.

Handwritten musical notation on a four-line staff, consisting of several notes and rests.

tum eque namorum

8753

4265

R XVII. 5. no. 123.



band f. 62

207

ΠΕΡΙΚΟΠΗ  
ΤΗΕΟΛΟΓΙΚΑ  
της ὀρθοδοξίας,  
De

VERE CATHOLICA  
SUB VNO CAPITE CHRI-  
STO ECCLESIA:

*Quam,*

DIVINA ASSISTENTE GRATIA;

*Consensu & auctoritate venerandi Senis,*

DN. D. DAVIDIS PAREI,  
THEOLOGI CELEBERRIMI, IUXTA  
ac meritissimi, & pro tempore DE-  
CANI spectabilis;

SUB PRÆSIDIO

*Reverendi & Clarissimi viri,*

DN. HENRICI ALTING, SS.  
THEOLOGICÆ D. & Professoris in Academiâ  
Archi-palatina ordinarij, publicè ven-  
tilandam proponit,

THOMAS WEGIERSCIUS Polonus,

*Ad diem VII. Septembris,*

*Horis locoque solitis,*

HEIDELBERGÆ,

TYPIS IOHANNIS LANCELLOTTI, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. XVI.

IOHAN. 8. vers. 31. 32.

**S**I vos, inquit CHRISTUS, manseritis in sermone meo, verè Discipuli mei eritis: Et cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.

Chrysoft. Serm. de S. & ador. Spiritu. tom. 3.  
*Si quis eorum, qui dicuntur habere Spiritum S. dicat aliquid à seipso, & non ex Evangelis, non credite; meam doctrinam sequimini. Si quis sequitur doctrinam Christi, Spiritum S. habet.*

Tertull. de Præscript. adv. Hæret. cap. 32.  
*Ecclesia, quæ licet nullum ex Apostolis, vel Apostolicis autorem suum proferant, ut multo posteriores, quæ denique quotidie instituuntur: tamen in eadem fide conspirantes, non minùs Apostolica deputantur, pro consanguinitate doctrina.*

Bellarmin. l. 4. de Notis Eccles. c. 8. §. Dico.  
*Non colligitur necessariò, ibi esse Ecclesiam, ubi est Episcoporum Successio.*

Gratian. Dist. 35. C. Ecclesie.  
*Si in Apostolorum loco sumus, non solum sermones eorum imitemur; sed etiam conversationem & abstinentiam.*



# DE ECCLESIA

## POSITIO I.



**E**κκλησία, Latinis Concio, seu cætus euocato-  
rum, ἄπο τῆς ἐκκαλεῖν, ab euocando dicitur. He-  
bræi ἡπρ vel ππρ nominant: quod LXX In-  
terpretes modò ἐκκλησίας, modò συναγωγῆς  
vocabulo, quod congregationem notat, red-  
diderunt. Populus tamen Noui Test. Synagoga rariùs appel-  
latur: *Act. 2. 2. 2 Thess. 2. 1. Hebr. 10. 25.*

Vocis Ec-  
clesiæ Expli-  
catio.

### II.

Est autem πολύσημον in Scripturis τῆς ἐκκλησίας nomen. In-  
terdum enim significat Conuentum Ciuilem, siue certo con-  
silio; *Deuter. 23. 1, Psal. 26. 5. collat. cum Psal. 2. 1. 2.* siue confusè  
per seditionem coactum: *Act. 19. 32. 40.* Vltimatissimè verò, cæ-  
tum DEO sacrum καὶ ἑξοχλῶ notat: Et sic, P. imariò quidem,  
pro vniuersali omnium fidelium multitudine: *Matth. 16. 18.*  
*Hebr. 12. 23. Eph. 1. 22. & 5. 23. 25.* Secundariò, pro particulari  
certi alicuius loc; *1. Cor. 1. 2 Gal. 1. 2. Apoc. 2. 1. 8. 12. 18.* vel etiam  
vnius domus, *Rom 16. 5, 1 Cor. 16. 19. Col. 4. 15.* sacrâ congrega-  
tione accipitur. Synecdochicè denique Presbyterorum, siue  
Pastorum & Seniorum Ecclesiæ collegium designat. *Matth.*  
*18. 17. 1 Timoth. 4. 14:* quod etiam καὶ ἐπιταλῶ Ecclesia Repra-  
sentatiua; & Synodus, Conciliumque, præsertim si plures legitimè  
conuocati fuerint, appellatur. Patres tamen insuper, Latini ma-  
ximè, vt & Gratian. in Decreto passim, Ecclesiæ nomine μετω-  
νυμικῶς ædem sacram, vel locum diuino cultui dicatum, intel-  
ligunt. Nos hoc loco primario significatu, de multitudine fidelium,  
qui in hac vitæ infideles, hypocrita variè admixti, usurpamus.

Distinctio

c. 16. q. 7. c.  
Ecclesiæ. It. c.  
Filiis. It. c. De-  
cernimus.

### III.

Ecclesia, secundum Apostolū, *1 Cor. 1. 2.* est cætus sanctifica-  
torum in Christo Iesu, vocatorum sanctorum, cum omnibus,

Ecclesiæ ge-  
neraliter sum-  
tæ Definitio.

qui inuocant nomen Domini nostri IESU CHRISTI in quouis loco. Alias etiam Regnum coelorum, Matth. 13.24. 47. Domus DEI 1 Tim. 3.15. Mater omnium nostrum, Gal. 4.26. Christi Sponsa, 2. Cor. 11.2. Apoc. 19.7. & 21.2. Corpus, Eph. 1.23. Ouile, & c. Joh. 10.16. appellatur. Extra hanc proinde Ecclesiam nulli unquam datur salus. Christus enim Ecclesia caput, dat salutem corpori suo, Eph 5.23: à quo qui alieni sunt, seruari nequaquam possunt: Eph. 2.12. Joh. 14.6. & 15.6. Act. 2.47. & 4.12. Sicut olim qui extra arcam Noe: Gen. 7.23. Hinc illud Concilii Lateran. c. 1. Vna est fidelium uniuersalis Ecclesia, extra quam nullus omnino saluatur.

## IV.

I.  
Ecclesiae  
Diuisio.

Bellar. lib.  
3. de Eccl. Mi-  
lit. c. 9. §. Ad-  
dit. It. in Resp,  
ad Arg 6.

Et si verò quoad essentiam vna semper ac eadem sit Ecclesia; circumstantiarum tamen atque accidentium respectu aliter atque aliter, attestante id nobis Bellarmino, considerari, & distingui solet. Et primò quidem in Ecclesiam Vocatorum & Electorum: Matth. 20.16. Quarum illa, est cætus hominum, qui ex statu peccati, ad statum gratiæ, serua verbi D. prædicatione, & Sacramentorū communicatione, euocantur: siue vocanti Domino verè pareant; siue id profiteantur solum: Matth. 11.28.29. & 13.24.37.47. & 22.3.9. Act. 2.38. Vnde Vocationis effectum, illorum quidem, verbi cum fide ouyραται: horum verò gustus duntaxat, nominatur: Hebr. 4.2 & 6.5. Hæc, est uniuersitas eorum tantum hominum, qui singulari DEI & boniæ ab æterno electi, in tempore per Verbum, & Spiritum S. ad no-  
stræ, & gratiæ gloriæque communionem in CHRISTO, efficaciter vocantur, propter misericordiæ diuinæ gloriam, & ipsorum æternam salutem: 1 Cor. 1.8.9. & 6.11. Rom 8.15.17.28.30. Eph. 1.4. & seq. 1 Petr. 1.1.2.3.4.9. & 2.9. Ad hanc uniuersitatem Electorum fidelium, iūm ipsum Ecclesia Dei nomen, iūm omnia alia in Scripturis elogia, & promissiones magnifica, propriè pertinent, & referri debent: ut sunt e. c. illa, Joh. 14.16. Eph. 2.21. & 4.12.13. & 5.23.25.26.27. 1 Tim. 3.15. Id quod agnoscit & ipse Bell. dū omnia, inquit, priuilegia, que sunt à Deo concessa Ecclesia uniuersa propter solos sanctos concessa esse, id est, in utilitatem & commodum eorum, qui salutem æternam consequuntur.

## V.

## II.

Ecclesia Electorum, qua & Catholica propriè dicitur, vel Absolutè sumitur; vel Secundum Quid. Prior, nullis est locorum,

locorum, temporum, personarumve differentiis circumscripta: completiturque omnes verè fideles, inde ab initio, vsque ad mundi finem: *Hebr. 12. 22. 23. Joh. 10. 16. Gal. 3. 28.* Siue, iuxta scitum illud Gregorii dictum; Sanctos ante Legem, Sanctos sub Legge, Sanctos sub Gratiâ (& tandem Sanctos in Gloriâ.) qui omnes corpus Domini, Ecclesiam uniuersalem perficiunt.

Gregor. M.  
lib. 4. Epist. 38

## VI.

Posterior κατὰ τὴν dicta, secundum partes, loco & conditione differentes, distinguitur *Eph. 1. 10. & 3. 15. Col. 1. 20.* in TRIVMPHANTEM, quæ nunc in cælis, conlummatâ feliciter in hac vitâ fidei militia, cum CHRISTO, & B. Angelis, gloriosè triumphat: *Eph. 5. 27. Apoc. 7. 9. 14. 15. 16. 17. & 14. 13.* Et MILITANTEM, quæ dum in terris est, aduersus omnes salutis nostræ hostes, sub vexillo Christi, spirituali πανοπλίᾳ, præclarè depugnat: *Eph. 6. 11. 12. Galat. 5. 16. 17. 1. Petr. 5. 8. 9. 2 Tim. 4. 7. 8. Apoc. 12. 1. & seq.*

III.

## VII.

Præter has, tertiam quandam in Purgatorio laborantem comminiscuntur Pontificii. At eam ignorat Scriptura Sacra. Duo enim tantum loca, post hanc vitam, superesse docet: *Matth. 7. 13. 14. & 25. 34. 41. Luc. 16. 22. 23. 25.* Medium verò omninò excludit: *Marc. 16. 16. Joh. 3. 16. 18. 36. & 5. 24. Apoc. 3. 16.* Similiter Augustinus statuit: *Nec est, inquit, ullus ulli medius locus, ut possit esse nisi cum Diabolo, qui non est cum Christo. Id. alibi: Primum locum fides Catholicorum diuinâ autoritate regnum credit esse cælorum. Secundum gehennam, &c. Tertium penitus ignoramus, imò nec esse in Scripturis Sanctis inuenimus.*

August. lib.  
1. de Peccat.  
merit. & re-  
miss. cap. 28.  
Tom. 7. Id.  
Hypognoctic.  
lib. 5. Tom. 7.

## VIII.

Porro Ecclesia, diuersi temporis & οἰκονομίας respectu, dicitur tum Israelitica Veteris; tum Christiana Noui Testamenti. *Galat. 4. 24. Act. 11. 26. Hebr. 9. 15.* Illa ex vnâ ferè gente sub durissimâ Legi prædologia vsque ad Messie aduentum colligebatur: *Deutr. 4. 7. 8. & 7. 6. 7. & 32. 8. 9. & 33. 29. Psalm. 147. 19. 20. Roman. 3. 2. & 9. 4. Galat. 3. 19. 16.* Hæc post exhibitum Christum, longè clariùs ac liberiùs, gratis. Evangelii prædicatione, ex omnibus promiscuè populis colligitur; idque ad consummationem vsque seculi: *Matth. 24. 14. & 28. 19. 20. Marc. 16. 15. Apocal. 5. 9. Galat. 3. 28.* Vtriusq; tamen fœderis Ecclesia, vera fidei unitate, ac doctrina substantiâ ne vel minimum

IV.

Bellarmin. l.  
3 de Eccl. c. 1.  
§. secundò.

dispar: Act. 4, 12, & 15. 9. 11. Ephes. 4. 4. quod etiam Bellarminus ipse concedit.

## IX.

V.  
Bellarm. l.  
4. de Notis  
Eccl. c. 2. §. sed  
dices.

Ecclesia Christiana, de qua nunc potissimum queritur, considerari ita solet, argumento locorum. Rom. 16. 1. 4. 5. 16. (id quod & Bellarm. admittit) vel Coniunctim, quatenus constat ex uniuersis & singulis, ingenuè Christum, eiusque doctrinam per totum passim terrarum orbem profitentibus. Et sic cum Ecclesia V. Test. angustis Iudae terminis incluse; tum Particularibus Novi, quas omnes suo ambitu comprehendit, contradistinguitur: vulgoq; Orthodoxa, & per Synecdochen Catholica dici solet: Vel Diuina, quatenus in certo aliquo mundi loco cætus Christianorum singularis, aliàs magis, aliàs minus frequens, purus & conspicuus conspicietur: ut nunc sunt Ecclesie Meridionales, Septentrionales; Germanicæ, Sarmaticæ; Heidelbergensis, Ostrorogana, &c. nec non fidelis cuiuslibet Patrisfamilias familia. Patres, Particulares etiam Ecclesias Orthodoxas, ἐπιθεδοξίας Hereticorum & Schismaticorum conuenticulis oppositas, propter ὀρθοδοξίαν, seu fidem & doctrinam verè Catholicam, Catholicas, Vniuersalesue, earumque Episcopos, ut & quosuis fideles Christianos, Catholicos, quadam Catechresti, nominare consueuerunt: prout videre est apud Lactant. Prosper. Aquin. Vincent. Lerinens. &c.

Lact. l. 4.  
cap. 30.  
Prosper. A-  
quit. Tract.  
Dimid.  
Temp. c. 5.  
Vincent.  
Lerinens.  
contr. Hæres.  
c. 3. & 25.

## X.

Causa Effi-  
cens.

Κύριον αἰτιον, & supremus Ecclesie author, est Deus vnus essentiâ, trinus Personis: PATER, Matth. 9. 38. 1 Petr. 5. 10. 1 Cor. 1. 9. & 3. 9. FILIUS, Matth. 16. 16. 18. Job. 10. 15. 16. Act. 20. 28. Eph. 4. 11. 16. & 5. 25. 29. Tit. 2. 14, & SPIRITUS. S. Job. 3. 5. Tit. 3. 5. 6. 1 Corinth. 12. 11 idque ex solâ εὐδοκίᾳ τῆς θελήματος αὐτοῦ, citra omne hominis meritum: 2 Tim. 1. 9. Eph. 1. 5. 6.

## XI.

Media In-  
terna & Ex-  
terna.

Vtitur verò Deus in colligendâ Ecclesia Mediis, cum Internis, virtute sc. sui Spiritus, qui electos ad S. communionem efficaciter, euocat: 1 Job. 1. 3. & 2. 20. 27. & 4. 13. nec non Fide, quâ electi vocationi Dei respondent; gratiamque sibi oblatam apprehendunt: Act. 26. 18. tum Externis, S. nimirum verbo: Iac. 1. 18. 1 Petr. 1. 23. & 2. 2. Verbiq; Administris, & dispensatoribus mysteriorum ipsius: 1 Corinth. 1. 4: qui idcirco, διοδομεῖντες, ἐρχίται, imò Dei ipsius συνεργοὶ nuncupantur, 1 Cor. 3. 9. 10.

## XII.

## XII.

Hanc ministerii sui in Ecclesia Christi functionem, cum non nisi ex legitimâ vocatione, obire possint vel debeant: Rom. 10. 15. Jer. 23. 21. Hebr. 5. 4. probè hic simul notandum est, Vocationem hanc esse tum INTERNAM, per spiritum S. quam unicuique Ecclesia Ministro peculiariter bona conscientia attestari debet, quod sc. donis necessariis, vel saltem mediocribus instructus. 2 Tim. 1. 13. Tit. 1. 9. non ambitionis, turpisve lucri causâ, 1 Petr. 5. 2. 3. ut nec vlla alia pravi affectus cupiditate; sed sincero vera pietatis amore, ac serio ardentique promovenda Christi Ecclesia zelo, 1 Cor. 14. 1. 12. 26. Eph. 4. 12. sacrum munus appetat; oblatum suscipiat: susceptum studiosè exequatur. Tum EXTERNAM, Solemneve; eamque rui fas vel IMMEDIATAM, quæ fit ab ipso DEO, siue DEI FILIO, sine vlllo hominum interuentu: qualis vocatio fuit Apostolorum. &c. Mar. 3. 14. & 16. 15. Gal. 1. 1. 12. vel MEDIATAM per homines: Dum nimirum secundum verbi Dei canones ac exempla, pii Magistratus, (sicubi commodè haberi potest) auctoritate, & fidelis populi consensu, communique suffragio, viri idonei (nil obstante legitimo eorum coniugio, quod inter quosvis honorabile Hebr. 13. 4. nec vsquam iure diuino Sacerdotibus, ipso Bellarm. fatente, prohibitum,) eliguntur: & prauo diligenti & accurato doctrina & vite ipsorum examine; nomine totius Ecclesie, in timore Domini, cum precibus, ieiunio, & impositione manuum, à Presbyterio, absque Simoniâ, & fauoris illiciti suspicione, ad munus Ecclesiasticum piè sanctèque obeundum, solenniter consecrantur, ordinantur. confirmantur: atque ita in S. muneris possessionem legitimè mittuntur. Eadem vocatio Extraordinaria κατὰ π, cum videlicet inueterato illi quidem; sed tamen corrupto, & S. Scripturis summè dissentaneo ordini Pontificio, confertur: Ordinaria verò propriè dici solet: quia ordini primario, diuinitus sancito, & ab Apostolica Ecclesia usurpato, optimè conueniat: De quo vide 1 Tim. 3. 1. & seq. & 4. 14. & 5. 22. 2 Tim. 2. 1. 2. Tit. 1. 5. & seq. Act. 1. 15. 24. & 6. 3. 5. 6. & 13. 3. & 14. 22. 2 Par. 19. 8. 11. & 35. 2. collat. cum Rom. 13. 4. Hanc ipsam quoque in vocatione Ministrorum Apostolicam κατὰ π, laudabilis antiqua Ecclesie πρᾶξις, aperte comprobat: ut videre est apud Cyprian. & in iure Canonico passim. Quo etiam spectat illa scitu non indigna Innoc. IV. Pape assertio: De Ritu, inquit, Apostolico, inuenitur in Epist. ad Tit. & Timoth. quod manus imponebat

De legitimâ Ministrorum vocatione.

Bellar. lib. 1. de Cleric. c. 18. §. At B. Thomas.

Cyp. lib. 1. Epist. 4. Dist. 23. c. In nomine. Et seq. aliquot It. Distinct. 24. c. Quando It. Dist. 38. c. Ignorantia. Et c. omnes psalentes It. Dist. 63. c. Episcopos. Et seq. c. aliquot. It. c. 1. q. 1. c. Qui studet. Et c. Quicumq;. Es cap. Eos qui.

Innoc. IV. In Appar. super Decret. lib. 1. De Sacram. iteran. vel nō. c. Presbyter. fol. 81.

imponerebat

imponere ordinandis, & orationes fundebat super eos. Aliam autem formam non invenimus ab eis servatam: sed subsequentiis temporibus formas, quae servantur, Ecclesia ordinavit.

XIII.

Materia Ecclesiae: eiusque Membrorum Divisio.

Bellar. lib. 3. de Eccles. c. 2. circa fin.

Solos electos fideles vera proprie esse Ecclesiae Membra, probatur.

Ecclesiae MATERIA, est tum Prima, Caput nempe ipsum unicum, CHRISTUS, qui omnia in omnibus implet: Eph. 1. 22. 23. tum Primae Subordinata, corpus videlicet Capitis CHRISTI mysticum: Col. 1. 18. Cuius MEMBRA ὁμωύμεως sunt, nomine ac specie tenus, in Ecclesia Vocatorum omnes reprobi, infideles, hypocrite: qui foris quidem fidem, & Ecclesiae communionem profitentur; intus verò nullam habent virtutem: lege tamen charitatis, quae omnia credit, omnia sperat, &c. 1 Cor. 13. 7. pro veris membris reputantur tantisper, dum vel sponte externam fidelium societatem deserant; vel legitimo Ecclesiae iudicio separentur. Hi ipsi in Scriptura paleis, & Zanis, putridis piscibus, hadis, Matth. 3. 12 & 13. 38. 48. & 23. 33: a Bellarm capillis, unguibus, & malis in corpore humano humoribus, assimilantur: quos tamen Definitione unius & verae Ecclesiae se solum comprehendere, ibid. ἀσυνφώνως asserit: simulq; planè ἀσύνεττε subiicit, affirmans; Ut aliquis possit dici pars verae Ecclesiae, de qua Scriptura loquuntur, non requiri ullam internam virtutem; sed tantum externam professionem fidei, & Sacramentorum communionem. At vera membra univocè ac proprie sic dicta sunt omnes ac Soli Electi, efficaciter ad Christi communionem in tempore vocati: Hi namque Soli 1. Spiritum Christi, Rom. 8. 9. 15. Joh. 14. 16. & vitam fidem, (quae corda purificantur Act. 15. 8. 9.) habent Tit. 1. 1. Act. 13. 48. quibus Mediis in unum corpus vere coniunguntur. 1 Cor. 12. 13. Ephes. 4. 4. 5. Reprobi verò, & omnes impii hypocrite, his carent, Act. 8. 20. 21. Joh. 12. 39. 40 & 14. 17. Suntq; membra Diaboli, Joh. 8. 44. 47. 1 Joh. 3. 8. 10. & non CHRISTI: Matth. 7. 23. 2. Cor. 6. 14. 15. 16. 2. Hi Soli sunt EX SEU DE Ecclesia, Ioh. 10. 26. & 1. Joh. 2. 19. 3. Hi Soli sunt proprie corpus, cuius Caput est Christus Eph. 4. 12. 13. 16. & 5. 23 & seq. Domus, cuius ille fundamentum 1 Tim. 3. 15. Matth. 16. 18. 1 Cor. 3. 11. Sponsa, cuius ille Sponsus. Cantic. 4. 12. 2 Cor. 11. 2. 4. Hi Soli secundum propositum Dei sunt vocati: Rom. 8. 28. 29. 1 Petr. 1. 2. 3. Matth. 20. 16. 5. Hi Soli sunt oves Christi: agnoscunt, audiunt, sequuntur ipsum: & vicissim Christus ipso agnoscit, ducit, pascit, servat, tuetur in aeternum: Joh. 10. 9. 11. 14. 16. 27. 28. Matth.

Matth. 25. 33. 34. quibus Scripturae locis, post August. Bellarm. etiam SOLOS praedestinos significari, concedit. 6. Accedit consensus Patrum, prout ἀδελφίτων ab ipsis Pontificiis citantur. Hieron. apud Gratian. Qui peccator est, inquit, aliquā sordē maculatus, de Ecclesiā Christi non potest appellari, nec Christo subiectus dici. Possibile autem est, ut peccator currat ad medicum, ut curet vulnera ipsius, & fiat de Ecclesiā, qua est corpus Christi. August. apud eundem: Nec ille dicendus est esse in Ecclesiā, & ad istam societatem Spiritus pertinere, qui omnibus Christi ficto corde miscetur. Sanctus enim Spiritus disciplina effugiet fictum. Neque enim illi solum ad Ecclesiam non pertinent, qui separationis aperto sacrilegio manifesti sunt, sed etiam illi, qui in eius unitate corporaliter mixti, per pessimam vitam separantur. Idem ap. Bellarm. Absit, ait ut intrare possint limitem horti conclusi, cuius ille custos est, qui non potest falli. Id. ap. eund. Cum intus esse videntur, ab illa invisibili caritatis compage separati sunt. 7. Quin etiam Bellarm. ipse, sui quasi oblitus: Dico, inquit, malos non esse membra viva corporis Christi, & hoc significari illis Scripturis, Rom. 8. 9. 1 Corinth. 12. 13. Ibid. multos ex suis concedere asserit: Malos non esse membra vera, nec simpliciter, Corporis Ecclesia; sed tantum secundum Quid, & aquivocē.

## XIV.

Distingui praeterea vulgō solent Ecclesiae MEMBRA, in Laicos & Clericos: siue; in Plebē, & Ecclesiae Ministros. Ex his alii sunt Temporarii, Extra ordinē; ut olim Prophetæ in utroq; Isa. 6. 8. 9. Jer. 1. 4. & seq. Act. 21. 10. 11. & Apostoli ac Evangelistæ, in Nouo Test. Eph. 4. 11. Gal. 1. 1: alii Perpetui ac Ordinarii: ante Legem quidem Patriarchæ. 2. Petr. 2. 5. Gen. 3. 20. & 12. 8. & 18. 19. Sub Lege, saltem ad Christum usque Hebr. 7. 12. Galat. 3. 23. 24. 25. Sacerdotes; Exod. 28. 1. Levit. 8. 1. 4. 6. Levitæ; Num. 3. 5. 6. & seq. Scribæ; 1. Ezdr. 7. 6. (Pharisei verò, Sadducai, & c. Sectarum erant nomina, Act. 15. 5. & 23. 7. 8. & 26. 5.) Ex horum genere, adiunctis simul electis ex populo Senioribus; Numer. 11. 16. 2. Par. 19. 8. 9. Luc. 22. 66, Synedria Iudæorum constabant: quorum moderatores ἀρχοὺς, Matth. 9. 18. ἀρχιερεῖς, Matth. 20. 18. & ἀρχισυνάγωγοι dicebantur; Marc. 5. 22. Sub Euangelio denique Perpetui ac Ordinarii in Ecclesiis benè constituti sunt, qui vel circa Disciplinam exercendam; ut vnā cum Episcopis, κυβερνήταις, Senioresve Ecclesiastici, strictè sic dicti;

B

Bellar. l. 5.  
de Eccles. c. 7.  
In Resp. ad  
Arg. 5. Id. l. 3.  
de verb. D. c.  
10. §. sextum.

De Poenit.  
Dist. 1. c. Ec-  
clesia Christi.

c. 24. q. 3. c.  
De illis.

Aug. lib. 2.  
contr. Cresc.  
c. 21. Et l. 3 de  
Baptism. c. 19.  
Vt hæc pro  
suā sentent.  
citat Bellar.  
l. 3. de Eccl. c.  
7. §. Denique  
Et c. 10. §. Aug

Id ibid. c. 9.  
§. Ad vlt. dico.

De Ordini-  
bus Ministro-  
rum Ecclesiz.

Rom. 12. 8. 1 Cor. 12. 28. 1. Theff. 5. 12. Iac. 5. 14. Hebr. 13. 17. vel circa  
 τὰ Βιωτικά Ecclesia; vt Diaconi, quâtales: Act. 6. 3. 5. 1 Tim. 3. 8.  
 vel circa verbi potissimum, vt Doctores; & circa Sacramento-  
 rum simul ministerium, gregisq; curam occupantur; vt Pasto-  
 res: Ephes. 4. 11. 1 Cor. 4. 1. qui & laborantes in verbo Presbyteri,  
 1 Tim. 5. 17. Tit. 1. 5. & Episcopi, Tit. 1. 5. 7. dicuntur. Nullum si-  
 quidem est iure diuino verum ac essentialè discrimen, inter Episco-  
 pum & Pastorem, seu Presbyterum in verbo laborantem. Scriptu-  
 ra n. vocibus hisce promiscuè utitur; usq; unum & eundem Noui  
 Test. Ordinem, idemq; officiũ perpetuo designat: Act. 20. 17. 28. Phil.  
 1. 1. 1. Pet. 5. 1. 2. 2 Joh. 1. & 3. 1. Quæ Scriptura loca, ad hoc ipsum pro-  
 bandum. Hieronymus citans, inter alia teste Gratiano, ait: Aposto-  
 lus perspicuè docet, eis sã esse Episcopos, quos Presbyteros. Quod autẽ  
 postea (non in primã, sed in secundã primitiua Ecclesiã à tempore  
 Petri, vti Gloss. ibid. asserit) vnus electus est, qui ceteris preponere-  
 tur, in schismatis remedium factum est. Id ap. eund. Olim idem erat  
 Presbyter, qui & Episcopus. Et antequam Diaboli instinctu studia  
 in religione fierent, communi Presbyterorũ consilio Ecclesia guber-  
 nabantur. Itaq; Episcopi nouerint se magis consuetudine, quàm dis-  
 pensationis Dominica veritate, Presbyteris esse maiores, & in com-  
 muni debere Ecclesiam regere. Bell. etiam ipse; Nomina hæc (quibus  
 Apostoli, vt patet ex cit. supra script. locis, non nisi officiũ simul com-  
 mune notabant) communia eo tempore fuisse concedit.

## XV.

Hierarchia  
 Eccles. Rom.  
 Dist. 21. c.  
 Decretis.

Reliqui Ecclesiastici Ordines, ex quibus hodiè Rom. Eccle-  
 siæ Hierarchia cõstat, partim ex Iudaismo, partim ex Gentili-  
 smo, originẽ trahunt, prout id perspicuè Gratian. docet: Mi-  
 nistri, inquit, Sanctorum Canonum sunt summi Pontifices, & infra  
 Presules, atque reliqui Sacerdotes: quorum institutio in V. Test.  
 est inchoata. Summi n. Pontifices, & Minores Sacerdotes à Deo  
 sunt constituti per Moysen. Postea verè David Ianitores & Cantores  
 instituit. Porro Salomon quendã modũ Exorcizandi inuenit. Hæc  
 omnia in N. Test. Ecclesia imitata, habet suos faxitores, quos O-  
 stiarios appellamus. Pro Cantoribus, Lectores simul & Cantores in-  
 stituit. Exorcistas autem nomine antiquo. & officio permanente re-  
 cepit. Pro filiis verò Aaron, omnes infra summum Pontificem Sa-  
 cerdotiũ administrantes sunt consecrati. Inter hos quadam discretio  
 seruata est, vt alii appellentur simpliciter Sacerdotes, alii Archipre-  
 byteri, alii Chorepiscopi, alii Archiepiscopi seu Metropolita, alii

*Primates, alii Patriarche, alii Summi Pontifices. Horum discretio à GENTILIBUS MAXIME INTRODUCTA EST, qui suos Flamines alios simpliciter Flamines, alios Archflamines, alios Protoflamines appellabant. Subdiaconos etiam, & Acolytos, precedente tempore Ecclesia sibi constituit. Apud eund. Urban. Pp. S. ait, Ordines decimus, Diaconatum & Presbyteratum. Hos siquidem Solos primitiva legitur habuisse Ecclesia. Videatur insuper apud Polyd. Vergil. origo & progressus Cardinalium, totiusq; superstitionissimi Monachatus: Cui superiore seculo accessit exquisita admodum Loiolana Societas; aliaque deuorum Secularium Confraternitates plurima; contra Generalis Concilii Lateranens. sub Innocent. III. A. C. 1215. celebrati, express. decretum, quo firmiter prohibetur, ne quis in posterum novos Religionis Ordines inueniat, & c. ut citatur à Greg. in Decret.*

## XVI.

*Ecclesie FORMA, quam duplici esse & Bell. concedere videtur, INTERNA quidem, est vocatio interior, & ex eâ arctissima illa, per Spiritu S. & fidem sinceram, omnium verè credentium & conuersorū, inter se, & cum Capite CHRISTO, coniunctio: per quam ille omnē virtutem, ac beneficia sua in eosdem, hī quidem inchoans, in Coelis verò perficiens, gratiosè & salutariter transfundit: Eph. 4. 3. 4. 5. 13. 16. EXTERNA autē, est foris per ministerium verbi, à tenebris ad lucem, & à potestate Satanæ ad Deum, Act. 26. 18. hominum quorumuis promiscuè, vocatio: Matth. 11. 28. & 24. 14. & 28. 19. Vnde fidei professio, & Sacramentorū participatio, verè fidelibus, & hypocritis simul, communis esse solet: Matth. 7. 21. Act. 8. 13. 21.*

## XVII.

*Huius potissimum duplicis Formæ respectu, vna eademq; numero Ecclesia, καὶ ἄρα οὐκ ἄρα, prout vnus idemq; homo in Externum & Internum, 2 Cor. 4. 16. distinguitur, Rom. 2. 28. 29. & 9. 6. Matth. 20. 16. & 22. 14. in Inuisibilem, Occultamve; & Visibilem, siue Manifestam. Inuisibilis enim Ecclesia dicitur ratione Formæ siue Vocationis Internæ: nec non, quā est Catholica, & secundum se tota: siquidem hic nunquam simul & semel est tota; sed inde ab initio semper fuit est & erit in perpetuā successione, donec tandem simul in cœlesti patriâ fuerit congregata: Apoc. 14. 4. Visibilis autem Ecclesia eadem, non ratione solum communis Materie, hominum videlicet, qui quā tales sentiuntur, & videntur; sed etiā*

Dist. 60 e.  
Nullus.

Polyd. Verg.  
lib. 4. c. 9. &  
lib. integro 7.  
& l. 4. c. 13.

Decret. Greg.  
lib. 3. Tit. 19:  
de Religiosis  
domibus. c. 9.  
Ne nimia.

Bellar. l. 1.  
de Iustific. c. 2.  
§. vlt. Et lib. 2.  
de Roman.  
Pont. cap. 30.  
§. vlt.

Forma Ec-  
clesiæ Quæ &  
Quotaplex.

## VI.

Eccles. Di-  
uisio, in Inui-  
sibil: m. & Vi-  
sibilem.

ratione Forma siue Vocationis Externe; hoc est ratione Ministerii,  
Ordinis ac Regiminis Ecclesie visibilis.

## XVIII.

Inuisibilis proinde Ecclesia constat ex omnibus ac solis electis fidelibus ac renatis: *Cantic. 4. 7. 12. 15. Ioh. 8. 47. & 17. 6. Apoc. 21. 27.* siue illi iam sint in Cœlis Comprehensores; siue in terris etiamnum Viatores præsentis, vel post futuri. *Comprehendit enim, ut ipse fatetur Canus ap. Bellar. omnes fideles ab Abel, usque ad mundi consummationem.* Huc pertinent quoque Infantes Spiritum fidei habentes, *Act. 2. 39. 1 Cor. 7. 14,* etiam ante Baptismum: Catechumeni item fideles: & excommunicati iniuste, imò etiam iuste, si resipuerint. *Siquidem omnes hi sunt in Ecclesia animo, & saluari si moriantur in eo statu, teste Bellar. possunt.* Hanc Ecclesie, Militantis inuisibilitatem (*Triumphantem enim, vel post in militiam hanc S. succedentem, conspici minime nunc posse, extra controuersiam ponimus*) sic paucis adhuc demonstramus. 1. *Propria ac essentialis Ecclesie Forma est interna, Psal. 45. 14. Luc. 17. 20. 21. Fit enim arcana Spiritus S. vi 1 Cor. 12. 13. 1 Ioh. 4. 13. per fidem sinceram, Eph. 3. 17. Gal. 3. 26. 28. in corde latentem, Rom. 10. 10. Ideoque non magis, quam τὸ καθόλου, per se, & in suâ natura, sub externos sensus cadere potest.* 2. *Ecclesiam S. nos credere in Symbolo profiteamur. Atqui, Bellar. etiam teste, aliud est credere aliud videre: 2 Cor. 5. 7. Heb. 11. 1. 3. Membra, seu partes Ecclesie integrales, quoad electionem, Act. 13. 48. & 15. 9. Tit. 1. 1. & fidei, conuersionis, interni cultus, Ioh. 4. 24. mi' itiaq; spiritualis, Eph. 6. 12. sinceritatē, non nobis, sed soli DEO καρδιογνωσι 1. Sam. 16. 7. sunt visibiles: Rom. 2. 28. 29. & 9. 7. 8. 2 Tim. 2. 19. E. & ipsa Ecclesia. Affectio enim partis, quâ pars est etiam totius, secundum illam partem.* 4. *Ecclesia Capitis CHRISTI, quem καὶ τὸ σῶμα non amplius nouimus: 2. Cor. 5. 16. corpus est mysticum, Eph. 5. 23. 32. Domus spiritualis, 1 Petr. 2. 5. Regnum non de hoc mundo Ioh. 18. 36. Hierusalem Cœlestis: Hebr. 12. 22. 23. Gal. 4. 26. Apoc. 21. 10. thesaurus absconditus, & c. Matth. 13. 44. 5. Quid multis? Ipse Bellarm. secum licet grauiser pugnet, Ecclesiam κατὰ τὴν Inuisibilem & Visibilem esse nobiscum asserit. Notandum est, inquit, ex August. Ecclesiam esse corpus vivum, in quo est anima & corpus; & quidem anima sunt interna dona Spiritus S. fides, spes, charitas, & c. Corpus sunt externa professio fidei, & communicatio Sacramentorum. Id. alibi: Disco in Ecclesia aliquid videri, & aliquid credi. Videmus enim ca-*

Canus ap.  
Bellar. l. 3. de  
Eccl. cap. 3. §.  
Alia igitur.

Bellar. l. 3.  
de Eccl. cap. 2.  
3. 6.

Inuisibilem  
esse Electorū  
Ecclesiam de-  
monstratur.

Bellar. lib. 3.  
de Eccl. c. 15. §.  
Ad sextum.

August. in  
Brevic. collat.  
collat. 3. Bell.  
l. 3. de Eccl. c.  
2. §. Notandū.  
Etc. 15. §. Ad  
sextum.

tum hominū, qui est Ecclesiā, sed quòd ille carus sit ipsa vera Christi Ecclesia, non videmus, sed credimus.

## XIX.

Visibilis Ecclesia, qua in externā vera fidei professione, & Sacramentorum communicatione, electis fidelibus reprobos & hypocritas semper habet admixtos: Matth. 13. 38. 48. & 22. 11. & 25. 2. 23. 2 Timoth. 2. 20. quoad Splendorem, tam Externum, quo in florente statu, omnibus conspicua, publicè relucet; quam Internum, seu, fidei & morum integritatem, defectio- nisve periculo, multifariè esse potest, ac sæpius fieri solet, obnoxia. Et quidem de Splendore externo affirmamus, Ecclesiam in eas quandoque redigi angustias, ut tota prorsus defecisse videatur: Sed iis saltem, qui vel infirmitate humanā præpediti, ut olim Elias, 3 Reg. 19. 10. eam inter pios latitantem non animadvertunt: vel odio & malitiā excacati, videre nolunt, 2. Cor. 4. 3. 4, vel denique furoris Diabolici astro perciti, videre nequeunt, ut Tyranni; qui Ecclesiam sæpius adeò persequuntur, ut ipsorum iniuriā, aut sedem pristinam penitus mutare, Matth. 10. 23. aut in quascunque latebras se abdere, Hebr. 11. 38. cogatur, ne se illis, aut mundo, visibiles præbeat. Quod ipsum non vno modo ostendi potest. 1. Expressis prædictionibus Prophetarum, 2 Paralip. 15. 3. Soph. 3. 12. CHRISTI, Luc. 12. 32. & 18. 8. & 21. 16. & seq. Joh. 15. 18. 20. & 16. 2. Apostolorum 2 Thess. 2. 3. & c. 2. Manifestis Exemplis. Tempore enim Patriarcharum, Aliquando, ut ait August. in solo Abel Ecclesia erat: aliquando in solo Enoch: aliquando in solā domo Noe: aliquando in solo Abraham. 3. Idem accidit Ecclesia temporibus Elia, 3 Reg. 19. 10. 18. Rom. 11. 2. 3. Michea. 3 Reg. 22. 8. Antiochi, 1 Mac. 1. per tot. & 2 Mac. 6. 4. 6. 4. Sic tempore nascentis Christi vera Ecclesia in paucis (quod nec Bellar. negare videtur) personis, iisque obscuris, abiectis, & toti mundo inuisis, latitabat: Luc. 1. & 2 c. Similiter tempore Passionis Domini, post Bernhard. nonnulli ex Pontificiis, in Solā V. Maria, Ecclesiam, veramque fidem remansisse asseruerunt. 5. Operta quoque tristiss. tyrannidis velo externa fuit Ecclesia facies, seculis aliquot, durantibus 10. illis sub Imperat. Ethnicis graviss. persecutionum nimbis: de quibus copiosè scripsit Eusebius. 6. Pestifera præterea Ariana hæresis nebula, quasi densiss. quadam caligine, splendorem totius Ecclesie Externum, nimis, pro dolor, obfuscauerant: prout de his idem Euseb. testatur. Hinc gemebunda illa vox Athanasii: Qua nunc, inquit, Ec-

Visibilis Ecclesia Quid & An possit deficere.

I.

Quoad Externum splendorem.

August. in Psal. 128.

Bellar. l. 4. de Notis Eccl. c. 5. §. Primo enim.

Bernhard. de Passion.

Domini c. 2.

Summa Ang. in Voc. Eccl.

Bellar. l. 3. de Eccl. c. 17.

§. Adde quod It. §. Miror.

Euseb. Hist. Eccl. toto lib.

8. Et libr. 10. passim.

Athanas in lib. seu Epist. ad Solit. vitam agent.

Hier. Dia-  
log. contr. Lu-  
cif. cap. 6.

Hilar. con-  
tra Auxent.  
Et in libr. de  
Synodis, fol.  
94.

Prosper.  
Aquit. l. de  
Promiss. &  
Prædict. p. 1.  
c. 1. in fine  
Primas in A-  
poc. c. 12.

Bellar. lib.  
3. de Rom.  
Pont. c. 7. §.  
Quarta. It. §.  
Denique.

Ambros.  
lib. 4. Hexam.  
cap. 8. t. 4.

August. ad  
Vincent. E-  
pist. 48. t. 2.

Bellar. lib.  
4. de Notis.

Ecc. cap. 2. §.

Quarta. Eccl. 3.

de Cultu S. c.

6. §. Ad Quin-

tum. Et lib. 4.

de Roman.

Pont. c. 4 §. Ad

secundum. It.

§. Deinde. &

sequent.

II.

Quoad Splen-

dor. Internū:

Sive;

An Ecclesia

errare possit.

clesia Christum liberè adorat? Nam si alicubi sunt pii, &c. illi iti-  
dem, ut Magnus ille Prophetà Elias, absconduntur, & in spelun-  
cas, & cavernas terra se abdunt, aut in solitudine oberrantes com-  
morantur. Et Hier: Ingemuit totus orbis, & miratus se esse Aria-  
num. Haud dissona de iisdem temporib. habet Hilarus. 7. Eadem  
planè fors Ecclesie esse debuit tempore Antichriste, Apocal. 12. 6. 14.  
(quod Prosper, & Primas. disertè de Ecclesia xplicant:) & 13. 7. 8.  
6. Matth. 24. 4. 9. & seq. (Comprobat id ipse Bell. aperte satis asse-  
rens: Quòd tempore Antichristi, propter grauissimam & notiss. per-  
secutionis atrocitatem, cessare debeat publicum & quotidianū Ec-  
clesie officium & Sacrificiū, omnesq; publica religionis ceremonie.)  
Quid mirum igitur superiorib. seculis, in medijs, usq; plusquā Cim-  
meriis, Papatus tenebris, Ecclesiam, qua coram Baal genua sua non  
flexerat, ut Lunā sub umbrā solis, granum sub paleis, scintillam sub  
cinerib. tectam, in occulto ad tempus latuisse? Quanquam & ium-  
diuinitus excitati semper fuerunt plurimi accerrimi veritatis asser-  
tores & confessores, qui sese constanter ad rogū usq; Papatus ebello-  
denonciās turpitudini (prout in Catalogo Test. Verit. euidentiss. de-  
monstratur) opposuerunt, donec tandem, Dei gratiā aternā rursus  
Euangelium Apoc. 14. 6. euangelizari palam incolis terra capit. 8.  
Quid ergo restat? nisi ut insigne illud Ambrosii effatum, sapius in-  
geminemus: Ecclesia sicut Luna defectus habet & ortus frequen-  
tes. Illudq; Aug: Ecclesia aliquando obscuratur multitudine scan-  
dalorum: aliquando tranquillitate temporis quieta, & libera appa-  
ret: aliquando autem tribulationum & tentationum fluctibus ops-  
ratur atque turbatur. 9. Accinit nobis ipse Bell. dum fatetur; Eccle-  
siā in principio, & fine passā esse magnas angustias. Et; Tempa sa-  
pe ab Hereticis occupari, & veros Catholicos, vel in cryptis, vel in  
desertis sape versatos. Cuius rei satis euidentis exemplū in ipsā Rom.  
Ecclesia, idem nobis alibi proponit.

## XX.

Quod ad Splendorem Visibilis Ecclesie Internum attinet,  
vtrum secundum hunc aliquatenus deficere: Siue; An in fide &  
morib. errare possit? Per Distinctionem Erroris & Memb. orū  
Ecclesie, respondendum censemus. Quamuis enim præter Pro-  
phetas & Apostolos, (qui singulari Dei privilegio, in prædicandā &  
conscribendā Euangelii doctrina, extra omnem erroris aleam positi  
fuere, 2 Petr. 1. 20. 21. 2 Tim. 3. 16.) omnes etiam alios electos, Christo  
per fidē Eph. 3. 17. & spiritū S. 1 Ioh. 4. 13. verè insitos, uniuersaliter,  
totaliter, finaliter in fundamēto salutis, errare non posse, Matth.  
24. 24. Ioh. 10. 28. & 17. 9. vltro concedamus: Eisdem tamen quoties

ex infirmitate carnis, à Scriptura S. unie à fidei, vitæq; norma, Isa. 8.20. Gal. 6.16. Phil. 3.16. vel tantillū declinant, in peccata & errores varios prolabi (à quib. tamē rursus diuinā gratiā eriguntur, 1 Petr. 1.5. Joh. 17.15.17.20.) ex S. literis planū est. Reprobos verò, & externe tantū vocationis participes, si verbi Dei regulā neglexerint, gravissimis, prorsusq; exitialibus errorū sordibus imbui, ac tandē eis obrui, sicq; à veritatis doctrinā penitus deficere posse, nullū est dubium. Non tamē statim ob quosvis errores visibilis Christianorū cætus, vera Ecclesia nomē amittit: sed tūm primū cum fundamentū & caput Ecclesia, Christum, penitus deserit, conuellit, repudiat: Col. 2.19 Eph. 2.20.21. 1 Cor. 3.11.15. Quemadmodū in homine graui morbo per omnes partes infecto, non illico perit actus primus vitæ, cum cessat operatio, siue actus secundus: Vt etiam nec quouis iurgio Matrimonii vinculū dissoluitur. Hinc Deus longanimis, sponsam suā, fædē licet pollutam, blandissimē, prisquā eam repudiet, ad meliorē frugem, reuocat: Isa. 1.16.21. Jer. 3.1.12. & seq. Similiter Apostolus Ecclesias Cor. Gal. &c. quamuis variis errorib. infectas, Ecclesia tamen Dei nomine cōpellat: 1 Cor. 1.2.11. Gal. 1.2.6. Hoc itaq; discrimine seruato, Ecclesiā, quam diu est Militans, in doctrinā fidei & morum errare posse, cum ex præcedentib. Thes. XIX. prolatis, tūm maximē ex iam sublequentib. διαρρηδλω constat Rationibus. Nam 1. Ecclesia in his terris imperfecta est scientia, 1. Cor. 13.9.12. Psal. 19.13 & 25.7. Heb. 5.2: imperfecta fides, Marc. 9.23. Luc. 17.5: & regeneratio, Rom. 7.15. & seq. 2 Cor. 4.16. 2. Immunitas ab errore, non nisi sub conditione obedientie fidei siue verbi, à DEO est Ecclesia promissa: idq; tā in Veteri; Exod. 19.5. Lev. 26.3.12.14. 2. Par. 7.12.19.20.21. Ier. 7.3. & seq. quā in N. Test. Joh. 8.31. & 10.27. & 15.10.14. 2 Cor. 11.2.3 2 Thes. 2.10. 1 Tim. 1.5.6.19. Heb. 3.6.14. Apo. 2.5. & 3.3.11. Vbi nec Rom. Ecclesiā, quicquā singularis privilegii, præceteris, habere, Apostolus apertissimē docet: Rom. 11.20.21.22. 3. Et profectō, si Ecclesiā errare, simpliciter foret impossibile, tum vane prorsus & supervacanea essent diuina illa admonitiones, & prædictiones, De erroribus Ecclesia: Ier. 4.9. Ezech. 7.26. Luc. 18.8.2. Thes. 2.3. 10. 1 Tim. 4.1. & 2. Epist. 4.3. 2 Pet. 2.1.2. Apoc. 9.2. & 13.3.8.16. De præcauendis falsis Doctōribus; Matth. 7.15. & 15.1.14. & 16.6.12. & 24.4. & seq. Act. 20.30.31. De probādis doctrinis, 1 Thes. 5.21. 1 Ioh. 4.1. Act. 17.11. De diligenti verbi D. obseruatione, eiusque studio accuratissimo, &c. Deut. 5.32. & 12.32. Isa. 8.20. Ioh. 5.39. Gal. 1.8. Apoc. 22.18.19. 4. Ecclesia peccare potest, atq; solet, ut id non admittit solū passim; sed etiam copiosè satis probat Bell. E. etiā errare pot ac solet; Iac. 3.2. Isa. 53.6. Matt. 6.12. Siquidē peccatū voluntatis,

Errare posse Ecclesiam ostenditur.

Bell. lib. 3.  
de Eccles. c. 8.  
§. 1. & seq.

praeceat error mentis, siue intellectus. 5. Quid, quod Ecclesiam  
 errasse sapius Scriptura manifestis comprobet exemplis. Errauit e-  
 nim Ecclesia Ante Legem: Genes. 3. 6. & 6. 5. Jos. 24. 2. Sub Lege,  
 Tempore Mosis: Exod. 32. 1. & seq. Deuter. 32. 15. 18. Ezech. 20. 4. &  
 seq. 1 Cor. 10. 5-11. Iudicium, 2. 3. 4. & c. cap. Samuelis, 1 Sam. 8. 7. 8.  
 Tempore item Regum, tam in Israele 3 Reg. 12. 25. & seq. & 18. 18.  
 22. 4. Reg. 17. 7. & seq. quam in Iudaea: 3 Reg. 14. 22. 4. Reg. 12. 3. &  
 14. 4. & 15. 4. 35. & 16. 3. 11. & 17. 14. 19. & 21. 2. & 22. 13. & 23. 22.  
 Vti etiam de hac errante utriusque huius corruptissimi Regni Ec-  
 clesiam grauissime passim conqueruntur Prophetae, Isa. Jer. Ezech.  
 & c. Ipse quoque praesens DOMINUS, Synagogam Iudeorum (quan-  
 tumuis praclaris fultam promissionibus, Psal. 132. 13. & seq. Rom.  
 3. 2. & 9. 4.) erroris sapius coarguit; Matth. 5. 20. & seq. & 6. 2. 5.  
 16. & 12. 2. & 15. 3-14. & 17. 10. 11. & 21. 13. 28. 42. & 22. 29. & 23. 3.  
 4. & seq. 1 Petr. 1. 18. Sub Euangelio similiter, plurima visibiles Ec-  
 clesia errarunt (imò iam experientiam teste prorsus à veritate deffe-  
 serunt) ut e. g. Ecclesia Hierosolym. Luc. 13. 34. & 19. 41. & seq. Act.  
 11. 2. Corinthiorum, 1 Cor. 3. 3. 4. & 6. 5. & 11. 18. & 15. 12. Galata-  
 rum, e. g. 1. 6. & 3. 1. 2. 3. & 5. 2. 7. 15. Ephesina, Act. 20. 17. 30. Apoc. 2.  
 1. Asiatica Apoc. 2. & 3. 6. & reliqua. De quibus communiter ex  
 Egesippo testatur Eusebius: Ecclesiam non diu permansisse puram &  
 immaculatam virginem. Vt enim Apostolorum chorus de hac lu-  
 ce discessit tum velut in vacuam domum, falsa doctrina impius se  
 error immergit, & c. Haud multum dissimilis Rom. Ecclesiae condi-  
 tio; siquidem iam, proh dolor! iusto Dei iudicio permittente, facta sit  
 sedes τῆς αὐθιγῆς τῆς ἀμαρτίας, 2 Thess. 2. 3. 10. Apoc. 17. 5. 9. 16.  
 6. Taceo, quod, praeter Iudam, iniquiss. illum apostatam, Act. 1. 16.  
 17. ceteri etiam Apostoli, tam ante solennem illam Spiritus S. ef-  
 fusionem, Act. 2. (ubi tamen iam tum verbi, Matth. 10. 1. 7. & Ba-  
 ptismi Iohan. 4. 2. administrari; atque ita actu ipso Episcopi, Act. 1. 20.  
 fuerunt) quam post, non prorsus ἀμαρτητοὶ extiterunt: uti id te-  
 statur Scriptura, partim Communiter de Omnibus; Matth. 16. 8. &  
 17. 19. 20. & 18. 1. & 20. 20. 24. 25. & 26. 31. 56. Marc. 16. 14. Act. 1. 6.  
 et 11. 19. Luc. 18. 33. 34. et 22. 24. Iohan. 20. 9: partim de aliquibus in  
 Specie; de Petro, Matth. 14. 31. et 16. 22. 23. & 26. 70. 72. 74. Act. 10.  
 13. 14. 15. 28. Gal. 2. 11. 14: Iacobo simul et Ioh. Marc. 10. 35. 37. Luc.  
 9. 54. 55. Thomam, Iohan. 20. 25. 27: Paulo et Barnabam; Act. 15. 39:  
 Iohanne; Apoc. 19. 10. et 22. 8. 9. etc. Quidni ergo variè labi possit  
 etiamnum

Euseb. Hist.  
 Eccles. libr. 3.  
 c. 32.

etiamnum *Visibilis Ecclesia*, cum tanti eius *Quæstiones à nemine non fuerint omnino immunes*. 7. *Ipsam etiam Ecclesiam Repræsentativam*, dum *S. negligit Scripturam*, quæ est (ingenuè fatente Bell.) regula credendi certissima, tutissimaque, errare posse, imò & sapius errasse, passim *S. Codex demonstrat*: *Isa. 56. 10. 11. Jer. 5. 31. & 8. 8. 9. 10. & 12. 10. & 14. 13. 14. & 18. 18. & 23. 1. & seq. & 26. 8. 11. & 50. 6. Ezech. 13. 9. 10. & 22. 26. & 34. 2. 3. & c. Ose. 4. 6. 9. & 5. 1. 2. & 9. 7. 8. Mich. 3. 5. 11. Zachar. 10. 3. Mal. 2. 7. 8. 3. Reg. 18. 22. & 22. 6. 12.* Sic temporibus *Messia*, *Summus Pontifex*, cum suo Concilio, quantumvis in *Cathedrà Mosis* sederet, *Matth. 23. 2. & seq.* illiusque temporis esset, (si modo *Bellar. credimus*) *Visibilis Ecclesia*; gravissimè tamen erravit, *Scripturâ*, & ipso etiã *Bellar. teste*: *Matth. 26. 59. & 27. 1. Marc. 14. 64. Ioh. 7. 32. 45. & 9. 22. & 11. 47. 53. 57. & 12. 10. & 18. 3. 13. 24. & 19. 6. Actor. 4. 5. 6. & c. & 5. 17. 21. 27. 40. & 6. 12. & c. 8.* Mitto denique, quòd passim ipsi quoque Pontificii, turpiter interim secum confluentes, *Ecclesiam errare posse* fateantur: *Innoc. III. Papa*: *Judicium*, inquit, *DEI* veritati, quæ nec fallit, nec fallitur, semper innititur; *iudicium autem Ecclesia nonnunquam opinionem sequitur*, quam & fallere saepe contingit, & falli. *Ibid.* *Gloss.* *Judicium Dei non fallitur; sed iudicium Ecclesia sapius fallitur.* Nee mirum: siquidem ex *Bell. hypothese* (prout supra in *Thes. XIII.* ostensum est) *Ecclesia constet ex ipsis reprobis, scelestis, impiis*: qui nullam habent virtutem internam, hoc est, *fidem, spem, charitatem, & c.* Idem prætereà *Bellar. manifestissimè concedit*; <sup>a</sup> *Ecclesias Particulares* (quæ solæ visibiles propriè dicuntur) errare posse: *Patres* <sup>b</sup> *item, & c.* <sup>c</sup> *Episcopos, extra Concilium dispersos, proprio iudicio indulgere*; & <sup>d</sup> *sapius hæc esse excitare: errare, c.* & ita interdum inter se dissentire, ut nesciamus quis eorum sequendus sit. Quosdam etiam ex <sup>e</sup> *præcipuis Veterum Patrum licet habuerint excellenter donum interpretandi, & fuerint spirituales, non leniter in quibusdam lapsos.* Et quod vel maximum: *Concilium quoque & legitimum posse errare in his, quæ non legitimè agit; veritate vi-* *ctus, fatetur.* Hinc *Oecumenica quoque Concilia, ut erronea in quibusdam audacter vellicat*: *Constantinopolitanum* <sup>h</sup> (si modo id pro errore haberi fas sit) ob antepositum *Episcopum Constantinopo-*

verb Dei cap. 3. § De ipso Et c. 10. § Dices. <sup>g</sup> Id lib. 2. de Concil. c. 7. In Resp. ad 3. Obiect. <sup>h</sup> Id Præfat. in Lib. de Summo Pont.

Bellar. lib. 1. de verb. D. c. 2. § Quare.

Bell. l. 3. de Eccl. c. 12. § Quinto. Et l. 2. de Concil. c. 8. Resp. ad 2. Arg.

Decret. Greg. lib. 5. Tit. 39. de Sentent. Excommunicat. cap. 28. A nobis est.

<sup>a</sup> Bell. lib. 4. de Notis Eccl. c. 2. § Tertio. Et c. § Sed dices. <sup>b</sup> Id lib. 2. de Concil. c. 6. § D. inde. <sup>c</sup> Id ibid. c. 2. §. Ex quibus. <sup>d</sup> Id lib. 1. de Rom. Pont. c. 8. §. Quarto. <sup>e</sup> Id lib. 2. de Concil. c. 2. §. Ex quibus. <sup>f</sup> Id lib. 3. de

i Id. ibid. litanum tribus reliquis Patriarchis Orientis: Chalcedonense i ob  
 Id. l. 3. de Lai- eundem Rom. Pontifici aequatum: Basiliense, k ut & l Constan-  
 cis c. 20. §. Ad tiense, quod e communi consensu statuit Conciliū esse supra Papam.  
 hoc vlt. Quem (ut hoc obiter notemus) Angelus de Clauas. m & plerique  
 k Id. libr. 2. de n Canonista, in fide etiam certo errare posse, asserunt: atque ita si-  
 Concil. c. 11. mul eundem in haresin incidere posse affirmant. Quandoquidem  
 §. Tertio. (ut Gloss. ap. Gratian. o habet) titubans in fide, falsi assertor, & à  
 l Ibid. c. 13. §. Deinde. fide (securè presertim ac pertinaciter) deuians, sit & dicatur Hære-  
 m In Sum- ticus. Similiter Pontificem etiam ut Pontificem, posse esse hæreti-  
 m̄a Angelic. cum, & docere haresin, & de facto aliquando accidisse, Nilus, & a-  
 sub Voc Pa- liquot Parisienses, ut Gerson, & Almain, nec non Alphonsus de  
 pa. Castro, & Adrianus VI. Papa, statuunt, teste p Bellar. qui etiam  
 n Gloss in ipse q Pontificem posse esse hæreticum, negando aliquam veritatem  
 Dist 40. c. Si anteà definitam, apertè concedit. Quod ipsum in super exemplis plu-  
 Papa. & Dist. rimis, quæ in ipsismet Scriptorum Pontificiorum monumentis ex-  
 19. c. Anasta- tant, euidentiss. comprobari possit. Paucanunc paucis attigisse suffi-  
 sius. Etc Ita ciat. Marcellinus Papa x idolis sacrificauit. Liberius i Aria-  
 Domin9 Glo. na haresi consentiens subscripsit. Cælestinus x Nestorii fuit haresi  
 in c. 24. q. 1. c. infectus. Athanasius 2. u fauit Nestorianis; hæreticisquè commu-  
 A recta. nicauit. Honorius x fuit Mono. helita. Sy uester 2. y Magnus; &  
 o Ibid. in c. Diabolo per homagium deditus. Job. 22. z reuera sensit, ut loqui-  
 Apertè. tur Bellar. animas non visuras Deum, nisi post resurrectionem. Job.  
 p. Bellar. lib. 23. 22 negauit vitam futuram, & carnis resurrectionem. Simili-  
 4. de Rom. ter & reliqui parūm probi Pontifices fuerunt, fatente id ipsum  
 Pont c 2 §. Bellar. Prefat. in Lib. de S. Pontif.  
 Secunda. r Dist. 21. c. Nunc autem.  
 q Id. ibid c. 7. Et Fasc. Temp. sub A. C. 284. f Fasc. Temp. sub A. C. 54. Et Bell. de utroque: lib. 4. de Rom.  
 §. Resp primò Pont. cap. 8 §. vlt. Etc cap. 9 §. Deniqs. & seq. t Laur. Valla contr. Donat. Constant. u Fasc.  
 r Dist. 21. c. Temp. sub A. C. 484 Dist 19. cap. Anastasius. Et Gloss. ibid. x M. Canus ap. Bellar. l. 4. de  
 Nunc autem. Rom. Pont. c. 11. §. 1. & seq. Id. ibid. l. 2. c. 30. §. Terra opin. y Platin. & Fasc. Temp. in vitā  
 Et Fasc. Temp. sub A. C. 1003. z B. ll. l. 4. de Rom. Pont. cap. 14. §. Trices. sextus. Et §. Resp. in primis.  
 22 Concil. Constantiens. Sess. 11. vt cit. ap. Bell. ibid §. Trices. septimus.

## XXI.

FINIS Ec-  
clesiæ.

FINIS s̄ Ecclesiæ, est illustratio laudis glorioſæ gratiæ di-  
 uinæ: Ephes. 1. 6. 12. 14. FINIS verò ω, est tūm Reprobatorum ἀνα-  
 πολογία, Rom. 1. 20. tūm æterna Electorum Vocatorum salus.  
 1. Pet. 1. 3. 4. 5. 9.

## XXII.

ADIUNCTA.

ADIUNCTA Ecclesiæ, Novi Test. potissimum, ex Symbolo.  
 Constantinop.

Constantinop. communiter i v. assignantur: quòd nimirum Ecclesia sit. 1. Una. *Vnitate nempe Capitis, Spiritus, fidei, charitatis, &c. Ephes. 4. 3. & seq. 2. Sancta: Segregatione, Ephes. 1. 4. 1 Petr. 2. 9. Imputatione, Rom. 4. 3. 5. 6. Inchoatione, Philip. 3. 12. 13. 14. & tandem in gloria perfectione, Eph. 5. 27. 3. Catholica: ratione Locorum, Marc. 16. 15: Temporum, Matth. 28. 20: Personarum, Act. 10. 34. 35. Apo. 5. 9: uniuersalisque doctrina, quam verè credit & profitetur, Act. 10. 43 & 15. 9. 11. Roman. 10. 8. & 16. 26. 4. Denique, Apostolica: respectu fundamenti, seu doctrina ab Apostolis, secundum Prophetas, de Christo unico Ecclesia fundamento, 1 Cor. 3. 11, tradita: super quam illa fundatur, Eph. 2. 20: eique firmiter adhaeret, 1 Tim. 3. 15. Ex his unusquisq; fidelium de sui in S. Communionem efficaci vocatione, certius esse potest ac debet: De alius item fidem ac conuersionem Christianam profitentibus, charitas benè sperare, & de nemino temerè iudicare, precipit: 1 Cor. 13. 7. Matth. 7. 1. 1 Thes. 1. 3. & seq.*

## XXIII.

NOTÆ siue *xp̄m̄e* Visibilis Ecclesiae sunt; Verbum Dei Scripturâ S. comprehensum: & quæ independent; Sincera Verbi istius prædicatio, & legitima Sacramentorum administratio; nec non S. Disciplina. Quorum tamen in designanda Ecclesia non est par ratio. Has verò esse Ecclesiae Visibilis veras ac proprias Notas evidentissimè patet; 1. Ex solidis S. Scripturae testimoniis, quibus puram Verbi & Sacramentorum administrationem, veram Ecclesiam, tam quoad singula Membra; quam quoad corpus ex iis coadunatum, ostendere; eandemq; à falsâ infallibiliter discernere, manifestiss. indicatur: Idque vel Coniunctim de Verisq; Deut. 4. 6. 8. Matth. 28. 19 Marc. 16. 15. Act. 2. 38. 42. 46. Eph. 5. 26. vel Seiunctim; De verbo: Psalm. 147. 19. 20. Prov. 29. 18. Isa. 59. 21. Matth. 13. 24. Luc. 16. 29. Joh. 8. 31. 47. & 10. 27. & 14. 23. & 18. 37. Rom. 10. 10. 14. 17. Galat. 1. 6. 8. Ephes. 2. 20. 1 Tim. 3. 15. 2 Ioh. 1. 9. De Sacramentis, Gen. 17. 10. 11. Exod. 12. 1. 13. 1 Cor. 1. 13. & 10. 16. 17. & 11. 20. 23. 2. Ecclesia per verbum Dei, S. *σφραγισ* firmatum, Rom. 4. 11. eum per propriam suam causam, gignitur, 1 Cor. 4. 15. Iac. 1. 18. 1 Petr. 1. 23. nutritur, 1 Cor. 3. 2. 1 Pet. 2. 2. Hebr. 5. 12. 13. 14. mundatur, Eph. 5. 26. gubernatur, Psal. 119. 9. 105. 133. E. & per idem cognoscitur: siquidem res per suas causas distinctè ac primariò cognoscuntur; 3. CHRISTUS, ex solis Scri-

Notæ Ecclesie  
proprie.

Vincent.  
Lerinens.  
contr Hares.  
c. 36.

Chrysoft in  
Catenâ Tho-  
mæ Aqu. sup  
Matth. 7. 16.

Hist. Eccles.  
Tripart. l. 2. c.  
5. & Theodor.  
lib. 1. c. 7.

Bellar. l. 4.  
de Notis Eccl.  
c. 14. §. Ad id.

August. ad  
Donatist. Ep.  
166. Id. lib. de  
Unit Eccl. c. 3.  
tom. 7.

Chrysoft.  
Opet. Imperf.  
in Matth.  
Homil. 49.

Bellar. l. 3.  
de Eccl. c. 2. §.  
nostra autem

Id. lib. 4. de  
Notis Eccl. c.  
9 & 11. statim  
ab init.

Id. ibid. c. 2.  
§ Resp si  
quid. Et §.  
Resp simpli-  
citer.

Id. lib. 1 de  
Rom Pont. c.  
1. §. Resp. ideo  
Et §. Altero.  
modo.

Ambros in  
Luc. 1. 6. c. 9 c.  
24 q. 1 c. Quæ.  
dignior.

pturis optimè agnoscitur, Iob 5. 39. 46. Luc. 24. 27. E. & Ecclesia,  
quæ est corpus ipsius, Eph. 1. 22. 23. 4. Pseudopropheta ex fructi-  
bus Matth. 7. 16. hoc est, ex falsis suis dogmatibus, iuxta explicat.  
Vincent. Lerinens. siue; ut Chrysoft. ait, ex blasphemio contra veri-  
tatem ululatu, dignoscuntur. E per Consequens & Ecclesia, ex  
verâ Apostolica doctrina confessione dignosci potest ac debet. 5. De-  
fectio à fide & doctrina Christi, falsam ceriò notat Ecclesiã, 1 Tim.  
1. 19. & 4. 1. et 6. 3. E è-conuerso sincera et constans eius professio  
veram Ecclesiam designat. 6. Ecclesia ad solum Verbum Dei  
perpetuò est alligata, Deut. 12. 32. Jos. 22. 5. & 23. 6. Isa. 8. 20. Gal. 1.  
8 & 6. 16. E. & eiusdem erit perpetua nota. Hinc ad normam  
Verbi Dei tanquam ad proprium & certiss. Visibilis Ecclesia xpi-  
tan-  
eior unice in diuidicandâ Apostolicâ Ecclesia, respexerunt Bero-  
enses, Act. 17. 11. Ut & olim in repurgandâ Ecclesia corruptâ, pii  
Principes & c. 2 Par. 15. 8. & seq. & 17. 7. 9 & 19. 34. & seq. & 29. 4.  
& seq. & 34. 29. & seq. Ezdr. 7. 10. Nehem. 8. 3. 8. 18. His affine exem-  
plum de Constant. M. in Histor. Eccles. reperitur. 7. Idem pro-  
batur testimoniis Patrum. August. contra Donatistas ex Scriptu-  
ris demonstrat Ecclesiam, ut fatetur Bellar. Nec immeritò. Ad hos  
enim sic scripsisse legitur; In scripturis didicimus Christum: in scri-  
pturis didicimus Ecclesiam. Id. alibi: Nolo humanis documentis,  
sed diuinis oraculis sanctam Ecclesiam demonstrari. Chrysoftom:  
Nunc nullo modo cognoscitur, volentibus cognoscere, quæ sit vera  
Ecclesia Christi, nisi tantummodò per Scripturas. 8. Quid, quod  
ipse etiam Bellar. eam, quam tuemur, inuiuis licet, comprobat sen-  
tentiam, dum nimirum Christianæ fidei professionem, & Sacra-  
mentorum communionem in Ecclesia Visibilis Definitione, diffe-  
rentiæ seu formæ loco, nobiscum ponit Formam enim (externam etiam)  
rem probat, declarat, & simul eandem ab aliis rebus omnibus di-  
stinguit. 9. Dum, Conspirationem in doctrina cum Apostolicâ  
Ecclesia; eiusque quoad fidem & mores professionem, inter Ecclesia  
Notas, recenset. Dum item concedit; Ex Scriptura probari, ubi &  
qualis sit Ecclesia: eandemque esse notiorè Ecclesiã quando est reco-  
pta, & clarè loquitur, & oritur quæstio de Ecclesiã. Dum denique  
asserit; Ecclesiam pendere à fide, ut à principio iustificationis: eamq;  
nutri, & acquiescere in doctrinâ, quam Apostoli & Propheta à Do-  
mino didicerunt, & prædicatione, vel literis ad posteros mandarunt. ]  
Licet igitur nobis hinc tandè inferre illud Ambrosianum, quod &  
Ius

Ius Pontificium approbat: Si qua est Ecclesia, qua fidem respuat, nec Apostolicae praedicationis fundamenta possideat, ne quam labem perfidia possit adspargere, deserenda est. Ad haerere vero oportet his, qui & Apostolorum doctrinam custodiunt, & cum presbyterii ordine sermonem sanum, & conversationem sine offensâ praestant; ut non minus pie, quam verè & sapienter Irenaeus loquitur. Rectissime itaque faciunt, qui iuxta verbi Dei praescriptum, Ier. 51. 6. 46. Apoc. 18. 4. Ioh. 10. 5. 1 Tim. 6. 3. 4. 11. & 2 Tim. 3. 1. 3. 5. 1 Ioh. 5. 21. laudabili Maiorum exemplo, ut quosvis Haereticos; sic & Papatum, nomen non fidem Ecclesiae Apostolicae praetendentem, relinquentes, ad Ecclesias Evangelicas, in quibus, DEI gratiâ, pura Christi & Apostolorum doctrina viget, confidenter transeunt.

Iren. lib. 4.  
cap. 44.

## XXIV.

REGIMEN Ecclesiae est vel Δεσποτικόν; vel ὑπηρετικόν: Hoc, Seruis ac Oeconomis in domo DEI concessum; 1 Cor. 3. 5. 7. & 1. 2. Luc. 12. 42. Illud; Soli duntaxat CHRISTO, Ἰπὶ τῷ θεῷ αὐτῷ Hebr. 3. 3. 5. 6, Domino ac Monarchae summo ac unico, ceu proprium incommunicabile, rel. & sum. Id quod insuper his solidis probatur argumenti; 1. Solus CHRISTUS, Ecclesiae unica sua sponsa, Cantic. 6. 8. 2 Cor. 11. 2. unicusque corporis mystici, Eph. 1. 22. 23. & 4. 4. 15. 16. unicus est Sponsus, & Caput: Unicum eiusdem fundamentum, 1 Cor. 3. 11. petra, Psalm. 18. 2. & 118. 22. Matth. 16. 18. 1 Cor. 10. 4. 1 Petr. 2. 4. 7. ἀρχιποιῶν, Ezech. 37. 24. 1 Petr. 5. 4. Unicus ac perpetuus Pontifex, Hebr. 4. 14. & 7. 24. 26. & 8. 1. Princeps, Act. 5. 31. Apoc. 1. 5. Rex ac Dominus, in toto hoc spirituali suo regno, Ioh. 18. 36. unicus ac solitarius, Psalm. 2. 6. 8. Apoc. 19. 15. 16. Nullus ergo hic prorsus Capiti vicario, nullus Successori, Monarchaeve post Christum summo, assignari poterit locus. 2. Soli CHRISTO uniuersalē Ecclesiae πολιτείαν administrare, mysticiq; Capitis munia obire, fas est ac possibile. Ipse namq; solus θεῶν ἰσχυροῦς, Ioh. 1. 1. 14. ordinis dignitate, Rom. 8. 29. gloria maiestate, & donorum omnium perfectione, toti Corpori, & membris singulis, infinitis parafangis antecellit: Col. 1. 15. 17. 18. 19. & 2. 3. 9. 10 Ipse solus gratiosa sua influentia actu, corpori & unicuiq; membro sigillatim, vitâ, sensû, motû, & quicquid est spiritualis boni, cōmunicat; Ioh. 5. 21. & 15. 4. 5. 6. Eph. 4. 12. 16. & 5. 23. 29. Ipse deniq; solus, nullo substituto vel successore indigens, aeternū uiuit; Rom. 6. 9. Vbiq; & semper Ecclesia adest; Matth. 18. 20. & 28. 20. Heb. 13. 6. 8. eamq; ut Propheeta, Sacerdos, & Rex summus, per legit. Verbi Ministeriū. et internā

De Monarchiâ spirituali, solius Capitis Christi.

*Spiritus sui virtutem, colligit, mundat, regit, tuetur ac conseruat constantissime: Joh. 14. 16. 17. 26 Eph. 4. 11. 12. & 5. 23. & seq. 3. Id ipsum etiam comprobat Orthodoxa Patrum antiquitas. Hilar. Unum, inquit, hoc est immobile fundamentum: una hac est felix fidei petra, Petri ore confessa; Tu es Christus Filius Dei vivi. Ambros. Non alius sponsus, sed solus Christus sponsus, de quo dixit Iohannes; (cap. 3. 29.) Qui habet sponsam sponsus est. August. Sponsa Ecclesia est, Sponsus Christus. Membra eius hic sunt, Caput sursum est, & c. Sumus Christiani, non Petriani. 4. Imo & Papista, sui immemores, idem nobis largiuntur. Bellar. Christus, ait, unus est ac proprius Ecclesie Catholica Rex & Monarcha, eamque spiritualiter ac inuisibiliter regit & moderatur. Id. ibid. Solus Christus est caput perpetuum totius Ecclesie; que non est corpus Petri, aut Papa. sed Christi, qui propria auctoritate, & perpetuo illam regit, sustentat, & omnia in omnibus operatur. Quod certe nec in Petrum, nec in vllum alium hominem conuenit. Gloss. in Extr. Comm. Ipse Christus, qui erat verus Deus loquebatur, cum dixit; Super hanc petram, id est, super me ipsum, qui sum petra, & qui significor per petram, edificabo Ecclesiam meam.*

## XXV.

Hinc iam vltro manat *πρωτομα* infallibile, B. nempe Petrum, non esse totius Ecclesie Caput, & principem loco Christi, ab ipso Christo constitutum. Quod quia Sophistae mordicus tueri hodieque conantur, hæc adhuc solidissima superioribus adiiicimus argumenta; 1. *ὑπεροχὴ* ac primatum dignitatis potestatisque in Ecclesia summa, nulli Dominus in Scripturis S. promissit, nulli mandauit; sed omnibus ex aequo Apostolis, & Ecclesie Ministris simpliciter prohibuit: Matth. 20. 21. 26. Luc. 22. 25. 26. 2 Co. 1. 23. & 8. 8. 1 Petr. 5. 3. *Quæ Scriptura loca Bernhardus ad ipsum Eugenium Papam scite admodum applicat, dicens; Nunquid dominationem tibi dedit Petrus? Audi ipsum: Non dominantes, ait, in clero, sed forma gregis facti. Et ne dictum solâ humilitate putet, non etiam veritate, vox Domini est in Evangelio; Reges gentium dominantur eorum; Vos autem non sic. Planum est. Apostolis interdicitur dominatus, & c. 2. Ordines Ministerii Ecclesiastici Apostolus passim accuratissime describit: Eph. 4. 11. Rom. 12. 6. 7. 8. 1 Cor. 12. 28. 29. & in utraque Epist. ad Tim. & Tit. Vbi ita *de Vniuersali Ecclesia Monarchâ, & principe omnium Episcoporum**

Hilar. lib. 2.  
de Trinit.

Ambros. 1.  
3. de Fide. c. 5.

August. in  
Psal. 44.

Bell. lib. 1.  
de Roman.  
Pont. cap. 9. §.  
Sed facile. It.  
§. At inquit.

Gloss. in  
Extravag.  
Com lib. 1. de  
Maior. t. & O.  
bed. c. Vnam.  
In verb. Est  
autem hæc  
auctoritas.

De Primatu  
Petri.

Bernhard.  
De Consider.  
ad Eugen. l. 2.

scoporum visibili, ne  $\chi\epsilon\upsilon$  quidem, quod sanè omitti nec posset, nec deberet, si primatus hic, Summatus rei Christiana contineret: eumq; negare non simplex error, sed reuera perniciofa heresis foret, ut sibi persuaadet Bellar. 3. Omnes pariter Apostoli, ut & ceteri Verbi Dei pracones, non Petri vasalli, aut mandatarii; sed vnà cum Petro, Christi, Euangelii, Ecclesia Ministri passim in scripturis appellantur: Act. 20. 24. 1 Cor. 3. 5. 7. 21. 22 & 4. 1. 2 Cor. 4. 5. Col. 1. 7. 23. 25. 2 Petr. 1. 1. 4. Nullus Apostolorum à Petro, sed omnes à Christo immediatè (ut & ipse Bell. expressè fatetur) sunt vocati, Gal. 1. 1. ab eodemque equali cum potestate, parique sine, ad vnum idemque officium obeundum, cum in Iudaam, Marc. 3. 13. 14. 15. Luc. 6. 13. & 9. 1. 2. tum inter omnes Gentes, amandati: Matth. 28. 19. & 18. 18. Ioh. 20. 21. 22. 23. 2 Cor. 5. 20. Similiter etiam aliis mediatè ac ordinariè vocatis Ecclesia Ministris, par est omnibus in S. Ministerio tributa à Domino potestas: Act. 20. 28. 1 Petr. 5. 2. 3. 1 Cor. 4. 1. 5. Varii praeterea nauis, lapsusque Petri, nullam eum praeceteris singularem prerogatiuam, nedum cum summâ potestate, totius Ecclesia principatum, habuisse, nò obscure testantur: Matth. 14. 28. 31. & 16. 22. 23. & 17. 4. & 26. 52. 70. 72. 47. Act. 10. 13. 14. 15. 28. Gal. 2. 11. 14. 6. Quin nec ipse B. Petrus quicquam sibi tribuit aliud, quàm sortem Ministerii, aliis etiam Apostolis communem, Act. 1. 17. 25. 1 Petr. 5. 1. 2. 3. 4. & 2. Epist. 1. 1. Nec ceteri Apostoli, vllam inrisdictionem, aut primatum (nisi fortè  $\chi\epsilon\upsilon$ , atatis, ordinis uè, qui inter pares etiam seruari meritò potest ac debet, 1 Cor. 14. 40.) in Petro agnouerunt: aliàs toties de Maioritate minimè contendissent: Luc. 22. 24. 25. Matth. 18. 1. & 20. 21. 24. 25. 26. Nec ipsum in Samariam ablegare potuissent, Act. 8. 14. Nec electionem Diaconorum; Act. 6. 2. 5. 6. aut legum quarundam Ecclesiasticarum promulgationem, Act. 15. 6. 22. 23. 28. communi omnium consensu aggredi; ut nec Paulus se ipsi per omnia exequare, 2 Cor. 11. 5. Gal. 2. 6. 8. 9. ausi vnquam fuissent, si Apost. Petrum, praere reliquis, vicarium Imperatorem, ac Ducem exercitui, qui est in terris, summo cum imperio, & potestate, praefectum esse à CHRISTO (ut Bell. iactitat) didicissent. 7. Idem confirmant Orthodoxi Veteris Ecclesia Doctores. Cypr. Dominus, inquit, Apostolis omnibus post resurrectionem suam, parem potestatem tribuit, & dicit: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos: Accipite Spiritum S. Si cui remisseritis peccata, remittentur illi, &c. Hoc erant utique & ceteri Apostoli, quod

Bell. Praefat. in Libr. de S. Pontif. Id. 1. de Roman. Pont. c. 10. circa init.

Bell. l. 4. de Rom. Pont. c. 23. §. 1. & seq.

Bell. Praefat. in libros Tres de Membris Ecclesiae Milit.

Cypr. Tract. 3. de Simpl. Praelat. Id. citatur. c. 24. q. 1. c. Loquitur.

Hieron. ap.  
Gratian. c. 2. q.  
7. c. Paulus.  
Ibid. Ambros.  
e. Beati.

Bellar. l. 1.  
de Rom. Pöt.  
c. 9. in Resp. ad  
2. obiect.

Id. ibid. c. 11.  
§. Tertio mo-  
do.

Id. ibid. c.  
12. in Resp. ad  
obiect. ult.

Id. ibid. c.  
27. §. Et for-  
tasse.

De Prima-  
tu, & Succes-  
sione Papæ.

Bell. lib. 2.  
de Rom. Pöt.  
c. 12. in Resp.  
ad 2. obiect.  
Nisi

quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis. Ibid. paulo post; Episcopatus unus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur. Hieron. ap. Gratian. Paulus, ait, Petrum reprehendit, quod non auderet, nisi se non imparem sciret. Ambros. apud eund. ibid. B. Petrus & Paulus, eminent inter uniuersos Apostolos: verum inter ipsos, quis cui præponatur, incertum est. Puto enim illos æquales esse meritis, qui æquales sunt in passione. 8. Ipse denique Bellar. sibi interim aperte contradicens, sic disserit: Summa potestas Ecclesiastica, non solum data est Petro, sed etiam aliis Apostolis. Omnes enim poterant dicere illud Pauli; Instantia mea quotidiana sollicitudo omnium Ecclesiarum: 2 Cor. 11. 28. Id. ibid. Trib. modis Apostoli omnes fuerunt Ecclesia fundamenta. 1. Quia ipsi primi Ecclesias ubique fundarunt. 2. Ratione doctrine à Deo reuelata. Nec in his maior est Petrus ceteris, sed ut Hieron. ait, in omnes ex æquo Ecclesia fortitudo solidatur. 3. Ratione gubernationis. Omnes enim fuerunt Capita, rectores, & pastores Ecclesie uniuersæ. Id. ibid. Fatemur Apostolos fuisse pares in Apostolica potestate & habuisse in populos Christianos eandem omnino auctoritatem. Id. ibid. Eo modo significatur, hos Apostolos (Petrum sc. & Paulum) vel pares esse inter se, vel certe ignorari, vter alteri præstet.

## XXVI.

His ita euidenter demonstratis, iure optimo καὶ ἀναίρετον inferimus, Rom. Pontificem non esse Christi Capitis vicariū, vel totius Ecclesie Monarchiam: neq; eum B. Petro vll'â prorsus ratione succedere. 1. Non enim ei successit in Apostolatu, neque omnino succedere potuit. Nec enim Papa Christum in carne vidit: nec ab ipso est immediate vocatus: nec ἀπεὸς in veritate à Sp. S. edoctus: nec in quasvis promiscuè regiones ad verbi Dei præconium a legatus: quod tamen totum contigit Apostolis; Gal. 1. 1. 12. 1 Cor. 9. 1. & 15. 8. Joh. 16. 13. Marc. 16. 16. Rom. 15. 20: fuitque eis hoc personale, & extraordinarium; non successivum; fatente id ipsum non obscure Bellar. 2. Nec successit in Ecclesia Catholica Primatu ac imperio; quod nunquam neque de iure, neque de facto B. Petrum habuisse, ex precedentibus satis manifestè patet. 3. Nec in Loco Pontifex Rom. Petro successit: Siquidem ex S. Literis Petrum Romæ fuisse; multò minùs ibid. 25. Annorum spacio Pontificatui præfuisse, probari omnino nequit. Contrarium verò, quod non fuerit,

fuerit, longè probabilius inde colligi potest: quia I. Fœdus cum Paulo inierat, ut hic apud Gentes, & ipse, non Roma Episcopatu, sed apud Circumcisos Apostolatu fungeretur; Gal. 2.8 9. cui pacto Petrum satisfecisse colligitur, ex 1 Petr. 1.1. attestante id etiam nobis Euseb. II. Paulus Epistolam ad Roman. scribens, plurimos ex amicis nominatim salutat, c. 16. Petri autem nullam prorsus facit mentionem. III. Paulum, non Petrum, oportuit Romam videri; ibique de Domino testificari: Act. 19. 21. & 23. 11. IV. Paulus Romam veniens, ibidemq; per biennium commorans, nusquam vel exceptus, vel quoquo modo adiutus à Petro legitur: Actor. 28. 14. & seq. Coloss. 4. 11. 2 Tim. 4. 11. 16. V. Paulus Româ scribens (quod nec Bell. negat) ad Galat. Ephes. Philip. Coloss. Tim. 2. Philem. ne verbulo quidem B. Petri meminit. VI. Mitto; quod Petrum per annos à Christi morte 18. circiter in Iudæa mansisse, & post Antiochiam discessisse, ex Gal. c. 1. 18. & 2. 1. 11. appareat, ita ut recepta Pontificiorum opinio de tempore aduentus Petri Romam, eiusdemque ibid. morâ & obitu, sibi non constet. Credibile igitur est Petrum nunquam Roma fuisse. Verum fuerit sanè, non tamen eo successio hac Papa necessario (ut ipse Bellarm. concedit) euinci poterit. Cum multi veniant Romam, ibique moriantur, qui tamen Romani Pontifices nunquam euadunt. Sed dato, non verò concesso, Papam Petro in loco successisse; nec sic tamen colligi necessario poterit, ibi esse veram Ecclesiam, ubi est talis Successio, ingenuè iterum ipso fatente. Bellarm. 4. Denique Papa Petro in fide, moribus, doctrinaque officio minimè successit. Longè enim aliter credit, vivit, docet: quod collatio utriusq; per quàm optimè euincit. At teste Ambrosi: Non habent hereditatem Petri, qui fidem Petri non habent. Et secundum Hieron: Non Sanctorum filii sunt, qui tenent loca Sanctorum, sed qui exercent opera eorum. Quod si etiam Papa Petro hoc respectu succederet: nil tamen prorsus peculiaris prerogativa, praeter ceteris legitimis ac fidelibus Ecclesia Christi Episcopis, sibi arrogare posset: siquidem & hi hac ratione Petro, omnibusque Apostolis, succedunt. Id quod etiam testatur Hieron. dum sic ait: Si autoritas queritur, Orbis maior est Vrbe. Vbi cunque fuerit Episcopus, siue Roma, siue Eugubii, siue Constantinopoli, & c. eiusdem meriti est, & eiusdem Sacerdotii. Potentia diuitiarum, & paupertatis humilitas, vel sublimiorem vel inferiorem Episcopum non facit. Ceterum omnes Apostolorum Successores sunt. Et Anacletus Papa: Ca-

Petrū Romæ non fuisse probatur.

Euseb Hist. Eccles. l. 3. c. 4.

Bell. l. 2. de Rom. Pont. c. 8. §. 1.

Id ibid. c. 1. §. Ex his quatuor.

Id. lib. 4. de Notis Eccles. c. 8. §. Dico Secundò.

Ambrosi. l. 1. de Pœnit. c. 6.

Hieron. ap. Gratian. Dist. 40. c. Non est facile.

Hieron. ad Evag. Id citatur Dist. 93. c. Legimus.

Dist. 21. c. In N. T.

Bell. l. 1. de  
Rom. Pont.  
c. 7. §. Si primi.

Bernhard.  
de Consider.  
ad Eugen. l. 2.

Chrysoft.  
ap Gratian.  
Dist. 40 cap.  
Quicumque.  
Vid. plura his  
simil. Dist. 99.  
c. Primus Sed. s.  
& seq.

De Admini-  
stratione &  
Potestate Ec-  
clesiasticâ.

teri Apostoli, cum Petro, pari consortio honorem & potestatem acceperunt. Ipsi quoque decesserunt, in loco eorum surrexerunt Episcopi. Idem adstruit & Bellarm. sic differens: Primi sunt Apostoli, qui Episcopi fuerunt, & quibus Episcopi succedunt.] Cum igitur nullo penitus modo Pontifex Rom. B. Petro successerit; nec à Christo, sed primum A. C. 607. circiter, à Phocâ parricidâ, ut Caput Vniuersalis Ecclesie diceretur (teste Platin. Sigebert. & c. in vita Bonifac. 3.) obtinuerit; æquum omninò est, ut illud Bernhardi ad Eugen. Papam, audiat; Planum est, inquit Bernhard. Apostolis interdicitur dominatus. 7. ergo tu (Papa) & tibi usurpare aude, aut dominans Apostolatam, aut Apostolicum dominatum, planè ab alterutro prohiberis. Si utrumque similiter habere voles, perdes utrumq; & c. Forma Apostolicâ hæc est, dominatio interdicitur, indicitur Ministratio. Quicumque (ergo, ut Chrysoft. ait) desiderauerit Primatum in terra, inueniet confusionem in cælo; nec inter seruos Christi computabitur, qui de primatu tractauerit.

## XXVII.

ὑπηρετικὴ ac Ministerialis Ecclesie administratio, Clauium-  
ve potestas; Matth. 18. 18. Joh. 20. 23. 2 Cor. 10. 8. & 13. 10: Triplex  
Communiter Statuitur,

I. Δογματικὴ; quæ in sincerâ Solius Verbi Divini, Deut. 12.  
32. Jer. 23. 28. Gal. 1. 8. 2 Joh. 10. prædicatione; in S. Scripturâ,  
κατὰ τὴν ἀναλογίαν fidei, Rom. 12. 6. 2 Petr. 1. 20. interpretatio-  
ne; inque legitimâ Sacramentorum dispensatione, Matth. 28.  
19. 20. 1 Cor. 4. 1. consistit.

II. Διατακτικὴ; quæ constitutiones Ecclesiasticas, Verbo  
Dei conformes, de rebus duntaxat ἀδιαφόροις ac indifferenti-  
bus, ad externam Ecclesie διατάξιν & διαχρημασίην, propo-  
sitas, 1 Cor. 14. 40. concernit. Quæ tamen Ecclesiastica Leges (pio-  
liâs faciliq; studio omnibus seruanda) conscientias fidelium extra  
casum scandali, vel contemptus, per se non obligant: 2 Cor. 1. 23. Gal.  
5. 1. 13. Col. 2. 16. 1 Petr. 5. 3. Solus enim supremus ille νομοθέτης, qui  
potest seruare, ac perdere, Jacob. 4. 12. in conscientias ius habet &  
imperium: eoq; solus simpliciter audiendus: Ezech. 20. 18. 19. Matth.  
17. 5. & 23. 8. & 28. 20.

III. Κειρικὴ; quâ in fidei doctrinâ, moribusque, quiuis  
ex professis Ecclesie membris delinquentes, Christianâ cū man-  
suetudine, atq; prudentiâ, secundum Verbi Dei præscriptum,  
monentur

monentur, increpantur, coercentur: & si quā opus, ab usu Sacramentorum *Matth. 5. 24. & 7. 6.* ad tempus suspenduntur: vel etiā extremā cogente necessitate, si nempe præfracti ac contumaces fuerint nimirū, de externā fidelium societate, autoritate Christi, totiusq; Ecclesie consensu, à Presbyterio excommunicantur tantisper, donec post testatam seriam & manifestam poenitentiam, publicā Ecclesie sententia absoluti, in S. communionem iterum recipiantur. Hæc Ecclesiastica Disciplina ratio commendatur in S. literis passim: *Matth. 18. 15. 16. 17. 1 Corinth. 5. 1. & seq. 2 Cor. 2. 6. 12. Roman. 16. 17. 2 Thess. 3. 14. 15. Gal. 6. 1. 1 Timoth. 1. 20. & 5. 19. 20. 21. 22. Tit. 3. 10. 11. Et apud Cyprian. lib. 2. Epist. 7. 71. Tractat. 2. de Habitu Virg. circa init.*

## XXVIII.

Σύγγονος Ecclesie est πολιτεία siue Respub. Vtraque enim conuenit: 1. Causā Efficiente DEO. *Roman. 13. 1* 2. Genere Collectiuo. 3. Fine Ultimo; qui est gloria DEI: *1 Corinth. 10. 31.* & ædificatio, salusque æterna membrorum omnium. Quamuis enim Ecclesia hunc finem magis explicet; & propius attingat; tamen & Politia, in primis que in eā Reges, Principes, &c. non Civile solum, sed & spirituale, bonum, Religionisque orthodoxiam amplecti; eandemque sartam rectam pro virili fouere, tueri, ac promouere quā studiosiss. tenentur: id quod Scriptura S. cū apertis testimoniis, *Deuter. 17. 18. 19. Roman. 13. 4. Ios. 1. 8. Psalm. 2. 10. 11. 12. & 24. 7. & 78. 71. 72. & 82. 6. Ios. 49. 23.* tum etiam piorum Regum exemplis, passim comprobatur: *3. Reg. 2. 27. 35. & 8. 1. & sequent. 1 Par. 23 & seqq. c. 2 Par. 8. 1. 13 & seq. & 17. 6. 7. & 15. 8. 13. & 19. 8. 11. & 24. 4. 5. & 29. 30. 31. 34. 35. capp. Dan. 3. 96. Idem confirmat Gratianus. Et Bellarm. ex August. Epist. 48. & 50. & 165, docet; piorum Regum munus esse Ecclesiam defendere, seueriq; legibus ac poenis blasphemos, sacrilegos, idololatrias, hæreticos, &c. coercere.*

Cognatum  
Ecclesie Poli-  
tia.

Dist. 69. c.  
Boni. Et c. 23.  
quæst 5. cap.  
Principes. It.  
c. Administra-  
tores.

Bellar. l. 1.  
de Roman.  
Pont. cap. 7.  
§. B Augusti-  
nus. Et lib. 3.

de Laic cap. 18 §. Secundus. Item §. Augustinus.

## XXIX.

Inter se tamen, teste Christo *Luc. 12. 14. & 22. 26. Iob. 18. 36. & Cypriano approbante: nec ipso etiam Bellarm. id dissentiente, differunt:*

10 cap. Quoniam.  
ad Obiect. vltimam,

Bellar. lib. 1. de Roman Pont. cap. 5 §. Secundum. Et cap. 9. in Resp.

Cypr. ap.  
Gratian. Dist.

1. Materiâ. Ecclesia enim ex solis Christianis: Politia verò ex omni promiscuè hominum genere, constat. 2 Formâ: qua illius quidem est spiritualis; huius autem Ciuilis communitio & societas, 3. Obiecto directo. Nam illa versatur circa spiritualia ac interna: ista circa Ciuilia & externa. 4. Differunt denique Regiminis, potestatisque modo. Politia namque in terris Capita dantur per multa; quorum potestas ut plurimum est αὐτοκρατορικῆ, pratoria, directiua, & simul coactiua, adeo, ut eis iure diuino liceat Rom. 13. 1-5. & secundum Leges positiuas, iuri natura congruentes, iudicia fori exercere; & fontes quosuis, quantumuis resistentes, pro ratione delicti, mulctis, carceribus, suppliciis, externâ vi, gladiove corporali plectere. Ecclesia verò Caput propriè duntaxat est unicum, CHRISTU: qui dedit legitimis, in corporis sui adificationem, Ministros, Eph. 4. 11. 12. 5: *οἱ οὖν* potestate non nisi merè Διαικονικῆ instruxit, 2 Cor. 1. 23. & 4. 5. & 6. 7. & 8. 8. & 10. 4. 8: ut videlicet in nomine ipsius solius Verbi Dei Spirituali clauē, Matth. 16. 19. & 18. 18. & 28. 19. 20. conscientias eorum, qui sunt in Ecclesia 1 Cor. 5. 12. soluant ac ligent: nullum sibi interim in gregem Christi dominium, externamve iurisdictionem usurpantes: 1 Petr. 5. 3. Luc. 22. 26. 2 Tim. 2. 4: Sed se, suaque omnia, in temporalibus ac externis, potestati Ciuili subiicientes; prout id ipse CHRISTUS, Propheta, & Apostoli dictis & factis suis euidenter commendarunt; Matth. 20. 25. 26. & 17. vlt. & 22. 21. Iohan. 6. 15. & 18. 36. & 19. 11. Ier. 27. 6. 12. Rom. 13. 1. & seq. Tit. 3. 1. 1 Petr. 2. 9. 3 Act. 25. 10. 11. Patres etiam, ut Chrysostr. Bernhardus; nec non Ius Pontificium passim, Ecclesia Ministros Magistratui politico in Ciuilibus ac externis, unâ cum possessionibus, subiectos esse debere, docent. Quin & ipse Bellarm. se ipsum refutans, Rom. Pontificem, non solum nullam iure diuino directam in temporalibus potestatem, habere; Sed etiam ipsum olim Imperatoribus, etiam Christianis, subiectum fuisse; & temporibus Gregorii nondum politicum principatum Ecclesiam habuisse, concedit. Clericos quoque (quibus ratio Capitis, teste Gratiano, est temporalium omnium depositio) ut sunt Ciues, & partes quaedam Reipub. politica, legib. ciuilibus, tributis, potestati- que Magistratus politici subiectos esse debere, perspicuè satis fatetur: q. 8. c. Reprehensibile; & seq. aliquot. Bell. l. 5. de Rom. Pont. c. 1. 2. 3. 4. 5. Id. ibid. l. 2. c. 29. in Resp. ad 2. Arg. Id. l. 1. de Conc. c. 13. §. Quarta Id. l. 5. de Rom. Pöt. c. 10. Resp. ad 4. Obiect. C. 12. q. 1. c. Duo sunt. Bell. lib. 1. de Cleric. c. 28. §. Probatur igitur & seq. It. §. Quarta. It. §. Posterior. & seq. duob.

Chrysostr.  
in c. 13. Rom.  
Homil. 23.  
Bernhard.  
Epist. 42. ad  
Archiepiscop.  
Senonens. m.

Dist. 10. c.  
De Capitulis.  
Etc. 2. q. 7. c.  
Nos si incom-  
pet. Etc. 11. q.  
1. c. si tributū.  
& seq. Etc. 23.

q. 8. c. Reprehensibile; & seq. aliquot.

Bell. l. 5. de Rom. Pont. c. 1. 2. 3. 4. 5. Id. ibid. l. 2. c. 29. in Resp. ad 2. Arg. Id. l. 1. de Conc. c. 13. §. Quarta Id. l. 5. de Rom. Pöt. c. 10. Resp. ad 4. Obiect. C. 12. q. 1. c. Duo sunt. Bell. lib. 1. de Cleric. c. 28. §. Probatur igitur & seq. It. §. Quarta. It. §. Posterior. & seq. duob.

Ibidem

*Ibid.* non obscure innuens, non extare præceptum diuinum proprie dictum expressè in Scripturis, quo exemptionem Clericorum esse iuris diuini, probari possit.

## XXX.

Αντίθετον veræ Ecclesiæ, est Synagoga Satanæ, Apocal. 2.9. Siue cætus eorum, qui falsam & Scripturis S. repugnantem religionem, vel potius ἐβελθηθησκείαν & εἰδωλομανίαν execrabilem sectantes, Christum eiusque doctrinam oppugnant: idque vel Apertè, ut Pagani, Iudæi, Mahumetani; Vel Occultè, ut tùm Pseudochristi, Matth. 24. 5. 24 cuiusmodi fuerunt Simon Magus; Bencochab; Moses Cretensis; David Georgius, & c. tùm Antichristi; iique vel Communiter sic dicti, qui certis quibusdam fidei Christianæ capitibus grauissimè sub prætextu pietatis, aduersantur: uti faciunt Pseudopropheta, Matth. 7. 15. & 24. 24. & omnes Hæretici, Tit 3. 10. e. c. Manichæi, Ariani, Photiniani, Pelagiani, & c. de quib. Isidor. & Jren. toto lib. 1. Vel Singulariter, eximius ille καὶ ἀντινομασίαν ANTICHRISTUS, regnum regno Christi contrarium, supremâ eaque duplici, potestate, secundum efficaciam Satana subdole exercens: prout nobis graphicè describitur, 2 Thess. 2. 3 & seq. Dan. 7. 8. 11. 20. 21. 25 & 8. 23. 24. 25. & 11. 36. 37. 38. 39. & in Apocal. passim, in primis verò cap. 9. 1-12. & 13. 11. & seq. & 17. 18. c. 1 Tim. 4. 1. 2. 3. & 2 Epist. 3. 1. & seq. 2 Pet. 2. 10. & seq. Hunc ipsum Antichristum, postquam initio libri Hilarius dixisset, Christo esse, sub opinione falsa pietatis, sub specie prædicationis Euangelicæ, contrarium, ut Dominus IESUS CHRISTUS dum prædicari creditur, denegetur: Tandem circa finem eiusdem Libri subiicit; Vnum moneo caute Antichristum. Malè enim vos parietum amor cœpit: Malè Ecclesiam Dei in rectoribus adificiisque veneramini: malè sub iis, pacis nomen ingeritis. Anne ambiguum est in iis Antichristum esse sessurum? Huc etiam spectat celebris illa Gregor. M. assertio; Ego, inquit, fidenter dico, quia quisquis se Vniuersalem Episcopum vocat, vel vocari desiderat, in elatione suâ Antichristum præcurrit. Bellarm. quoque Romam, sedem esse Antichristi, manifestè satis concedit, dum eam in Apoc. passim, & in primis cap. 17. apertè Babylonem illam magnam, sedentem supra septem montes, & habentem imperium super Reges terræ, nominari contendit. Vnde iam facile colligere possumus, Rom. Pontificem,

Repugnantia veræ Ecclesiæ.

De Sim. Mag. vid. Euseb. Hist. Eccles. l. 2. c. 13. Id. ibid. De Bencochab. lib. 4. c. 6. De Mose Cret. Platin. in Vita Cœlest. 1. Et Chronic. Carion. lib. 3. De Dauide G. Theatr. Hist. Hondoiff. sub præcept. 1. Tit. de Hæreticis.

Isidor. ap. Gratian. c. 24. q. 3. c. Quidam. DE ANTICHRISTO, Quid, & Quis ille sit.

Hilar. contr. Auxent. Gregor. lib. 6. Epist. 30.

Bellar. l. 2. de Rom. Pont. c. 1. 9. Præterea.

ac Dominum ἐν ἐπιλάοφω, si non ipfiff. Antichristum, saltēμ πρὸς-  
 δρομον eius esse certissimum: praesertim cum Nomina (imò & officia  
 simul) eadem omnia, quae in Scripturis tribuuntur CHRISTO,  
 unde constat eum esse supra Ecclesiam, tribuantur, teste Bellarm.  
 eidem Rom. Pontifici. Hinc Papa passim audit (a) Summus  
 Sacerdos, Vicarius Christi, Princeps Sacerdotum; Caput, funda-  
 mentum, Sponsus Ecclesiae, Episcopus Vniuersalis: Viri usq; (b) po-  
 testatis Monarcha: non (c) Homo; Sed (d) DOMINUS DEUS  
 noster; (e) Sanctissimus, (f) ἀναμάριτος & ἀνυπόθυτος;  
 (g) Omnia iura in scrinio pectoris sui; (h) terreniq; simul &  
 Coelestis Imperii iura; & (i) Coeleste arbitrium, habens: idcirco ei  
 in his quae vult, est prorogatio voluntas: Nec est qui ei dicat, Do-  
 mine, cur ita facis? etiamsi (k) innumerabiles populos caterua-  
 tim ducat in mancipium gehennae: quia cunctos ipse iudicaturus à  
 nemine est iudicandus. Ipse quoque (l) Jus & auctoritatem S.  
 Canonibus impertitur; licet eis sese non subiiciat, nec eis alligetur.  
 Decreta (m) etiã Pontificum inter Scripturas Canonicas recen-  
 set: Leges (n) in conscientia obligantes condit; quibus omnes fide-  
 les ut credant, vel faciant quod ipse iudicauerit, cogit, & punit  
 transgressores: simulq; promulgat (o) Sic omnes sanctiones eius  
 accipiendas esse, tanquam ipsius Diuinâ voce Petri firmatas. Ut (p)  
 Si quis in illas commiserit, non erit sibi veniã denegari. Nam (q)  
 Sp. S. blasphemant, qui illas violant. Præterea (r) Papa dispensare  
 potest contra Ius naturale: contra Apostolum: contra (s) Do-  
 minum: contra Euangelium: contra generale statutum Ecclesiae: con-  
 tra (t) quatuor Concilia: contra Verba Euangelii: contra (u) jus  
 Diuinum: etiam contra Epistolas Pauli: & (x) in aliis Papa  
 dispensat: addere item potest Euangelio: maiorque est quam Paulus  
 in administratione. In summa, (ut id genus ἀδύνατα perquam  
 plurima alia, omittamus) Papa (y) auctoritatem habet summam

(a) Bell. l. 2. de Rom. Pöt. c. 31. §. 1.  
 (b) vi. Decret. l. 1. Tit. 6. De Election. c. 17. Fundamenta.  
 (c) Ibid. Gloss. In Verb. Homini. It. Gloss. in Proem. Clement.  
 (d) Gloss. in Extr. Ioh. Tit. 14. de Verbor. Sign. c. Cum inter nonnullos. Sub fin. It. Dist. 96. c. Satis euidenter.  
 (e) Gloss. in Extr. Com. l. 1. De Maiorit. & Obed. c. 1. Vnã. In verb. Ergo si deuiat.  
 (f) Bell. l. 4. de Rom. Pöt. c. 3. & §. 1. Id. ibid. l. 2. c. 26. §. 1 & seq.  
 (g) Gloss. in Dist. 18. c. Quoniam. (h) Extr. Ioh. Tit. 5. Ne sede vac. aliq. innov. c. Si fratrum. (i) Gloss. in Decret. Gregor. lib. 1. Tit. 7. De Translat. Episc. cap. 3. Quanto. In Verb. Veri Dei vicem. It. Gloss. in Extr. Iohan. Tit. 3. De Præbend. & dignit. cap. Execrabilis. In Verb. De ipsorum consilio. (k) Dist. 40 c. Si Papa. (l) C. 25. quæst. 1. c. Ideo p. Hisita. (m) Dist. 19. Rubric. c. In Canonicis. It. Dist. 16 c. Sancta. (n) Bellar. l. 4. De Rom. Pont. c. 15. (o) Dist. 19. c. Sic omnes (p) Dist. 19. c. Si Romam p. Quibus. (q) C. 25. q. 1. C. Violatores. (r) Gloss. in cap. 15. quæst. 6. c. Auctoritatem. (s) Gloss. in c. 25. q. 1. c. Sunt quidam. (t) Innocent. 1 v. Papa, In Apparatu super Decret. l. 1. De Renunciat. c. Quidam. fol. 73. (u) Gloss. ibid. (x) Ibid. Innoc. 1 v. De Bigamis. c. super fol. 86. (y) Gloss. in Extr. Ioh. Tit. 3. De Præbend. & dignit. c. Execrabilis. In Verb. Vacare decernim9.

& excellentem, & potestatem in omnibus, & per omnia, & pra omnibus; & (x) Super omnes potestates àm cœli, quàm terra: Cui

(a) plenè omnes Catholici simpliciter sunt subiecti: Eiq; (b) Subesse omni humana creatura, omninò est de necessitate salutis. (c)

O *Mysterium!* O mater scortationum, & abominationum terra! O *Babylon illa magna!* Exite, exite (vox Cœlestestis est Apoc.

18.4.8.) ex eâ, popule-mi, ne participes sitis peccatorum eius & ne explagis eius accipiatis. *Validus est, qui indicabit eam,*

DOMINUS DEUS: (d) Cui benedictio, & honor, &

gloria, & robur in secula seculorum,

*A M E N.*

(2) Steph. Archiepisc. Patracens. in Orat. in Concil. Lateran. sub (& corâ) Leone x. Anno 1515, Sess. 10. habit.

(a) Gloss. in Extr. Com. l. 5. De pœnit. &

Remiss. c. i Antiquorum In Verb. Confitebuntur. circa init. (b) Extr. Com. l. i. De Maiorit. & Obed. cap. 1. Vnâ Sanctam. (c) Apoc. 17. 5. (d) Apoc. 5. 13.

*N.B.* Hæc omnia, quæ in *Thesibus* hisce, ex *Jure Pontificio*, quod *Canonicum*, vocantur citantur, in recenti etiam editione, autoritate *Rom. Pontif. Greg. XIII. factâ*, reperiuntur.

## DEVOTA AD CHRISTVM

*Ecclesiæ adflictæ προσφώνησις.*

**H** EI iacet in mediis Ecclesia mcesta periclis!

Hei perit passim candor, & alma fides!

Iam furor immensus Satanæ; vis dira tyrannûm

Sævit: & in mundo nil nisi lerna mali.

Nil valet hei pietas! Sacra nil præcepta IEHOVÆ

Curantur: statio non benè tuta piûm!

Vnice Sponse, Caput, Spes, Petra, Salusquè Sionis

Vnica, CHRISTE, tuis (nam potes) adfer opem,

Ne quando tantis Ecclesia parua periclis,

Fraudibus aut Satanæ victa, malisve, cadat.

Tu rege nos clemens; fidei da augmenta labanti:

CHRISTE tuos seruos protege, parce, bea.

Sic poterit Stygius Pluto, & Babylonica pellex

N. linferre mali, CHRISTE benigne, tuis.

**F I N I S.**



Vh. ev. Dugm. polem. 208<sup>m</sup>

**Ps** Anctes quidem unicum qd an  
acceptum et sagacitate distribuere et  
impreavit **Ps** Dñe mure an